
10
I-D
14
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
10
1 G
27

INTRODUCTIO
in
Historiam Universalem Monarchicam;

Quam
cum

CÆSAREO-LOGIA ME-TRICA


Antehac typis exscriptâ,
edidit,


M. SIMON BORNMEISTER,
Rect. ad Sp. S. ac Poëta Laureat. Cæsareus.



NORIBERGÆ,
Sumtibus JOH. ANDREÆ ENDTERI,
& Wolfgangi junioris hæredum.

ANNO M. DC. LXIX.





Ad Clarissimum

Dn. AUTOREM,


Rectorem Scholæ Xenodochianæ fidelissimum, Philosophiæ Magistrum, & Poëtam Laureatum Cæsareum.

Cùm parvo includis rerum monumenta libello
magnarum, & summos sistis in orbe Viros:
è parvo haud parvæ Tibi surget adorea laudis;
& magni pergent Te celebrare Viri.

Amoris & honoris ergò
L M Q. faciebat

Joh. Mich. Dilherrus,
P. & P. P.

VIRO



VIRO
MAGNIFICO, PRÆSTRENUO, NOBILISSIMO AC PRUDENTISSIMO
DOMINO
GABRIELI
NÜTZEL
à Sünderspühl,
Illustris Reipubl. Noribergensis & Senatori & Scholarchæ gravissimo, bene merentissimo,
Domino & Patrono suo summe observantiæ cultu devote colendo,
perennantem felicitatem!





Uas vices conditio omnium rerum habet, ut nempe, cum jam quaſi ad quendam juventæ florem pervenerint, rurſus poſtea velut conſeneſcant; illud ipſum & rei litterariæ accidiſse, quid mirum? Erant tempora, quibus ſtudia non tantum in tuguriis habitabant; ſed etiam intra palatia regum admittebantur, adeò, ut illi qui rei gerendæ laude non erant inferiores aliis, ad eam doctrinæ & ingenii gloriam adjecère.

Tali fulcro nixa eruditio caſum non facile metuebat. Ho-

Honorii, ut cœteros taceam, tempora, magnum litteratorum proventum illuſtraſse, *Claudianus* Paneg. in 4. ejus Conſul. ita de eo canens,

Te Gallia doctis
civibus, & toto ſtipavit Roma ſenatu

teſtatur. Aſt ex quo barbarorum irruptiones, devaſtationem occidenti induxêre, ſapientiæ decor omnis periit, bonarumque litterarum cultus neglectus, barbariei ceſsit. Et licet nonnunquam melior rurſus facies illius eſse cœperit, omnes tamen', quæ ſupererant, ſcintillas penitus obpreſsére & extinxere Clau-

ſtrales illi Superiorum ſeculorum Monachi, ab imis unguibus ad verticem ſummum, toti ex ignorantia concreti; de quibus Ἐράσμιος ille Roterodamenſium; *continenter ventri inſerviunt, conviviis tabeſcunt, varia ciborum cogitant, in merum ſe ingurgitant, præter modum cibo ventrem onerant.* Nil niſi ſtupor veternoſus, id temporis, animis plerorumque inſederat, & quam quisque minimum intelligeret altioris & amœnioris litteraturæ, tam maxime religioſus credebatur. Sed numinis beneficio rediére in aurum ſecula priſcum, abjectisque furfuribus & paleis, tritico

tico jam paſcere ingenia poſſumus. Verum enim verò licet priſtino reſtitutæ nitori litteræ coruſcent; metuendum tamen, ne inquieta & inſolens ævi hujus eruditio, ſplendorem illarum rurſus obfuſcet. Nempe ſeculi hujus genius acerbitatem ita ſcientiis infudit, ut vix eruditus eſſe queas, niſi inſimul iracundus & ferox, & (quod tamen plane à viro Docto & Bono abeſse debebat) maledicus. Malo huic aliud, ſed oppidò occultum accedit. Permulti enim, quibus omnis eruditio non in pectore, ſed in labris,

divina se luce, adeò perfusos existimant (verba sunt, qui sub Petro Firmiano latet, Authoris de Gen. sec. dissert. 3. p. 100.) *ut nihil orbis* (illis) *habeat, aut divinius aut illustrius, & si credas, altissima de se concrepantibus, antequam fulsissent, mundus indistincta mole jacebat, & tenebræ erant super faciem abyssi.* Sed utres hi fœneique homines, utut pennas suas pavonum instar explicent, cœloque animum ferant, nihilo tamen minus ludibrio sunt corculis ac γνησίοις solidioris eruditionis æstimatoribus. In his cum & Tu *Præstren. Nob. ac Prudentiss. Domine*, fecit singularis ille, quo litteras pro-

prosequeris, favor, ut hunc rudis Minervæ, ac proîn nullatenus Tuo splendore dignum laborem, sub *Tuo* Illustri nomine, tanquam sub tutela ac Clypeo, publicam adspicere lucem, voluerim. Audaciæ id quidem est; neque ego diffiteor: sed facile tamen in *Tua* benevolentia veniam inveniet, si dixero, eam me adeo rapuisse in *Tui* observantiam & cultum, ut hac lege, cum aliâ non potuerim, propius illi me adplicare non erubuerim. Indigne *Te* haud ferre hanc in *Te* meam pietatem, spondet serena illa frons; neque enim abis à peculiari *Tua*

in-

indole, & mirifica in omnes bonos inclinatione, quâ jam dudum in omnium animis, ſtatuas obſervantiæ, *Tuo* victuro nomini erexiſti. Cum edecumatorum ingeniorum monumentis, ſi quisquam alius, coli digniſsimus ſis, nihilotamen minus & hoc, quicquid eſt, ſi quid eſt, admittes, cum in parvis etiam voluiſse ſatis ſit. Quod ſi *Tuæ* Illuſtri benevolentiæ, hic meus ſeſe adprobaverit conatus, votis fruar ad invidiam usque felicitus. Deum interea veneror, ut *Te Generoſe Domine*, bono publico & litterarum natum, cum nobiliſsima conjuge, ſingula-

gularis exempli fœmina, ac ſuaviſsimis pignoribus *Tuis*, omni genere bonorum cumulatum, quam diutiſsime incolumem præſtet.

Vive, ſpes noſtræ Patriæ, vetuſti
vive longævam Pilii ſenectam,
vive, dum ſerus meritisque plenus
aſtra reviſas.

Vale vir Præſtr. ac Nob. & me inter immortalis nominis Tui devotos cultores admitte.

Sc. in Muſæo, d. 5. Id Apr.
cIↃ IↃc LXIX.

T.
Mag. Præſtr. Nobilit.
obſervantiſsimus
cultor
M. SIMON BORN-
MEISTER.





Benevolo Lectori

εὐψυχεῖν!

TEnuiorum captui, hic, quem cernis, adaptatus eſt labor, ne adoleſcentes, in provectiori ætate, bis ſint pueri. Si Plinianum illud, Hiſtoria quoquo modo ſcripta delectat, cordatiorum calculum meretur, ex facili quoque gratus iſte, quem commodis ſtudioſæ juventuti unice conſecrare cùm animo meo conſtitui, erit conatus. Philoſophiæ civilis præcepta adoleſcentibus proponi, apprime utile; Aſt Hiſtoriam, illa exemplis felicius inculcantem, illis addere, omnino neceſſarium. Optime in hanc rem, Ubertus Folieta lib. de Rat. ſcrib. Hiſt. *Cum*



duæ sint facultates, quæ commune bonum & utilitatem publicam spectant, quæque hominibus ad beatam vitam iter expediunt, illosque ad civilem societatem tuendam & ornandam instituunt, moralis Philosophia, & Historia, *ita hæ duæ facultates partitæ sunt inter se munera, ut illa disputationibus & præceptis, animos & mores hominum informet, hæc utilibus exemplis salubribusque documentis, quid sequendum in vita, quid fugiendum sit, doceat, moneatque, ad quorum similitudinem actiones & consilia sua homines dirigant & conforment, casusque atque exitus, qui bona consilia & prava consequi soleant, ante oculos hominum ponat, quorum cogitatione illi, vel ad virtutum inflammentur, vel â sceleribus revocentur.* Quotus quisque insuper est, cui de meliori luto finxit præcordia Titan, qui non delectetur familiaritate virorum queis



queis cultior orbis
ſubmiſsis defert faſcibus imperium;

ad eam verò Hiſtoria viam ſternit. *Videmur enim*, inquit Antonius Viperanus. c. 3. de ſcript. Hiſt. *Superioribus annis vixiſse, & præſtantiſſimos homines tanquam hoſpitio excipere; cumque illis magnis de rebus colloqui, & nos inter nos invicem inter rogare, reſpondere & rerum geſtarum petere pariter, & reddere rationem. Quæ major, quæ utilior, quæ jucundior eſt in his congreſsibus delectatio?* Mearum partium, cùm hactenus fuerit, indultu & juſsu Per-ſtren. ac Nob. Dominorum Schol. Dominorum Patron. O. M. meos, ad hanc *vitæ Magiſtram* deducere, id mihi negotii datum eſse putavi, ex opima Hiſtoriæ meſse, aliquot colligere ariſtas, brevique quaſi tabellæ, huic quæ




ætati necessaria essent, includere, ac tandem authoritate illorum, quorum voluntati obsequi, summa mihi felicitas, hoc quidquid est, si quid est, publicæ committere luci. Cum verò olim animadverterem, non ita memoriam omniũ esse felicem, ut seriem Imperatorum, rite recensere possent, eos seculis distinctos, metro includere adprime utile esse duxi, maxime ea propter, quod dulcedine Poëtica, talia adolescentibus (his enim, non illis, qui in bicipiti se somniasse Parnasso putarunt; mea destinavi,) longe gratiora & faciliora reddantur. Hanc itaque *Cæsareologiam metricam*, olim in gratiam studiosæ juventutis editam, & comitem hujus introductionis esse volui. Non equidem nescius sum, aleam hanc ante me, & alios plures felicissime tentasse, quorum prolixum



lixum catalogum texere, esset operam abuti; ast, *annon omnis vitæ ratio*, judice Fabio. l. 10. c. 11. *sic constat, ut quæ probamus in aliis, facere ipsi velimus?* Interea, ut placeant mea, quæ mihi maxime displicent, omnibus, non mihi in votis. Et si alii despuant, non perinde afficior. Optimum omnium est, qui me & hæc studia oderunt, his non coguntur uti.






INTRODUCTIO IN HISTORIAM UNIVERSALEM.

I.

Historia, unde habet nomen?



Ab ἴσαω, scire.

v. Vossius, art. Histor. c.1. qui & accurate, quodnam inter historiam ipsam, artemque ejus conficiendæ dis crimen, ibidem ostendit.

II.

Quidnam est Historia?

Historia est cognitio singularium, quorum memoriam conservari utile est ad bene beateque vivendum.

Facit huc illud Livii in præfat. ad Dec.1. *Hoc illud est pracipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento, intueri,*

tueri, unde tibi tuæque Reip. quod imitere capias: inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites.

III.

Quomodo dividenda?

In historiam ante, & post-diluvianam.

IV.

Quomodo post diluvianam dividis?

In universalem & particularem.

V.

Quam vocas universalem?

Quæ res totius orbis, in Politia & Ecclesia gestas, complectitur.

VI.

Quam vocas particularem?

Quæ res vel unius gentis, vel unius partis orbis Eccle-

ſiaſticas & civiles, complectitur.

VII.

Quæ ſunt genuina hiſtoria nota.

(a) Veritas, prudentia, eloquentia. (b)

(a) Veritatis ſtudio laudem in hiſtoria conſcribenda maxime meruere, *Buchananus* & *Jac. Aug. Thuanus*. (b) Hanc itaque virtutem in conſcribenda hiſtoria ſumme neceſsariam eſse oſtendit, *Cic.* l. 2. de Orat. p. 206. *Foxius* de Inſtit. Hiſt. x. p. 761. Tom. 1. Pen. Hiſt. *Gisb. Voet.* in Herod. p. 11. *Lucianus* libello de ſcrib. Hiſt. Tom. 2. pen. Hiſt. p. 565.

VIII.

Hiſtoria univerſalis quid continet?

Res Monarchicas.

IX.

Quot ſunt Monarchiæ?

Quatuor ſunt (a) ſumma imperia, ſive Monarchiæ. 1. Babylonica

bylonica, 2. Medo Persica, 3. Græca, 4. Romano-Germanica.

(a) *Summa* dicuntur, quod potentia præ cæteris excelluerint: vid. *Degor VVhear.* relect. meth. p. 51. sect. 3. p. 4. Illud tamen incertum putat *Nob. D. Conringius*, quod de duratione Romani imperii usq; ad diem ultimum, vulgo creditur v. dissert. ejus de Imperat. Rom. Germ. §. 54.

X.

Prima quando cœpit?

Post diluvium, in Nimrodo.

Gen. 10. v. 8. 9. B. *Gerh.* in Gen. c. 10. q. 4. Tom. 6. Loc. Theol. de Mag. part. 1. c. 3. s. 1. *Fridlib.* Theol. Exeg. Cl. 7. q. 42.

XI.

Ex qua familia fuit Nimrod.

Ex familia Noachi.

XII.

Quis erat ejus parens?

Chusus. Hinc Chami erat

Nimrod nepos, Nohæ pronepos.

XIII.

Sub Nimrodo quid contigit?

Turris Babylonica eſt exſtructa, ſed non perfecta.

Orationem, quà ſuos ad turris ædificationem hortabatur, refert *Joſephus* l. 1. antiquit. & elegantiori ſtylo *Biſſelius* Ruin. Dec. 1. p. 354. Hujus turris aliqua adhuc veſtigia extare, αὐτόπτης narrat *Leonhardus* Rauwolff / in Itinerario nunquam ſatis laudando l. 2. c. 7. p. 74.

XIV.

Quæ cauſa?

Deus tam ſtupendà arrogantià mortalium offenſus, linguas confundebat.

v. D. *Joh. Meiſn*, diſs. de Ling. confuſ. aſſert. 4.

XV.

In quot?

In ſeptuaginta duas, juxta numerum familiarum.

XVI.

XVI.

Quæ lingua per mansit?

Hebræa, in familia Heberi.

Consulendus *Sigon.* l. 1. de Rep. Hebr. c. 1. cit. disp. assert. 4. §. 4. De hujus linguæ necessitate, quæ ipsius Pontificis Clementis V. jussu docenda, vid. Venerabilis *Dominus Dilherrus*, Patronus æternùm mihi devenerandus, & summus, Atr. linguæ Sanctæ. p. 74. Jcar. Acad. Orat. 3.

XVII.

Quis fuit Status primæ Monarchiæ?

Divisa est in tres dynastias.

XVIII.

Quid vocas Dynastiam?

Insignem regni, sive quo ad Politiæ formam & modum, mutationem.

XIX.

Quænam sunt illæ dynastiæ.

Prima est Assyriorum, altera

tera Medorum, 3. Chaldæorum.

Qui plura his de dynaſtiis deſiderat, conſulat *Samuel. Huberum* diſsert. de genuina ætate Aſsyr. qui tamen nimium quantum Cteſiæ favet; ſed longe aliter ſentit, & rectius quidem, Vir Nob. de ſtudiis optime meritus, *D. Conringius*, in adverſ. Chron. c. 1.

XX.

Qui ſunt notiores Reges primæ dynaſtiæ.

Nimrod, Belus etiam dictus, Ninus, Semiramis (a), Ninyas, & Sardanapalus.

(a) Ejus virtutem maxime ſuſpexit Alexander teſte *Curtio*. l. 7. Præclara autem ejus facta in compendium contraxit *Loccenius*, l. 1. de Mon. Babyl. c. 3. Enimvero plures fuiſse Semiramides Reginas, quarum res confuſæ, arbitratur *B. Rupertus* ad Beſoldum: p. 37.

XXI.

XXI.

Vixit ne alius etiam in hac dynastia populus?

Judaicus, in Abrahamo initia ſumens.

XXII.

Qualis fuit modus gubernandi hunc populum?

Primo obtinuit in illo populo regimen Patriarchale: dein duces, poſt quos Judices, hos excipiunt Reges, tandem fuit ſub ducibus & Pontificibus ſimul.

XXIII.

Primus, quis fuit ducum?

Moyſes.

Legi hic merentur ea, quæ Exc. tradit *Conringius* de Rep. Hebr. §. 14.

XXIV.

Judicum quis primus?

Othoniel; ultimus Samuel.

XXV.

XXV.

Quis primus Regum?

Saul, duravitque horum regimen, usque ad ſciſsum ſub Roboamo imperium.

Quomodo regium hoc imperium comparatum fuerit v. CL. *Friſchmuth* Tr. de Jure Regio. *Conring.* l. c. §. 51. *Bertram* de Rep. Jud. c. 10.

XXVI.

Quomodo facta eſt ſciſsio?

Bipartitum eſt regnum, in regnum Judæ & Iſraëlis. Tribus enim decem defecere â Roboamo, filio Salomonis, eliguntque ſibi Jeroboamum Ephraimitam Regem. Roboamo verò permanſere duæ tribus, Judæ & Benjamin.

XXVII.

XXVII.

Regnum Judæ, quamdiu duravit?

Annos circiter 390.

XXVIII.

In quo desiit?

In Zedekia, qui abductus est Babylonem.

XXIX

Quamdiu duravit regnum Israëlis?

Annos circiter 260.

XXX.

In quo desiit?

In Hosea, quem Salmanasser Rex Assyriorum cepit, regnumq; in perpetuam servitutem abduxit.

XXXI.

Sed quot perpessus est populus Judaicus captivitates?

Quatuor constitui solent, Babylonicæ captivitates.

De

De his quatuor captivitatibus copiose agit *Mæstlinus* quæst. Chron. 5. p. 74.

XXXII.

Prima sub quo facta est?

Sub Manasse rege Judæ, qui â Chaldæis est abductus.

XXXIII.

Altera sub quo facta?

Sub Jojakimo rege Judæ, quem Nebucadnezar abduxit: abductus & ea Daniel.

XXXIV.

Tertia sub quo cœpit?

Sub Jechonia, qui Babylonem deportatus est cum tota aula, & 18000. hominibus.

XXXV.

Ultima quando contigit?

Sub Sedekia, & hæc est illa 70. annorum captivitas Babylonica.

XXXVI.

XXXVI.

Quis autem finem imposuit dynastiæ primæ.

Sardanapalus, quem Arbaces regno exuit, ac initia Dynastiæ Medorum dedit.

Hic nullâ alia re, nisi mollitie nomen meruit, id quod præter *Justinum* l. 1. pluribus ostendit *Loccenius* l. 1. de Mon. Babyl. c. 5.

XXXVII.

Quis dynastiam Assyriorum inchoavit?

Phul-Belochus, qui ab Arbace defecit; unde Dynastiæ secundæ divisio facta est, in regnum Medorum, & Assyriorum.

XXXVIII.

Dynastia secunda in quo cessavit?

In Astyage, qui fuit ultimus Medorum Rex.

XXXIX.

XXXIX.

Tertia Dynastia quænam fuit?

Chaldæorum sive Babyloniorum, qui vindicarunt se in libertatem, duce Nabonassare.

XL.

In quo desiit?

In Nabonido Medo, qui alias etiam vocatur Darius Medus. Atque in hoc finis est, Monarchiæ primæ.

Obpugnat hanc sententiam *Wichmannus* in Chronol. sacra l. 1. Ast incommoda nonnulla exinde sequi, ostendit *D. Strauch.* in Imag. τετραμελάμῳ Daniel. §. 12. De Dario autem Medo consulendus quoque *Josephus* l. 1. contra Appion.

XLI.

Num & alia quædam imperia fuerunt in hac Monarchia?

Fuerunt utique alia, inter quæ

quæ regnum Argivorum, Atheniensium, Carthaginiensium, & Romanum.

XLII.

Regnum Argivorum quibus temporibus cœpit?

Cœpit ante Mosen, temporibus Isaaci.

XLIII.

Quis fundator illius regni?

Inachus, â quo antiquissima rerum Græcarum memoria deducenda.

Fuit hic Inachus Abrahamo & Isaaco σύγχρονος v. *Emmius* Tom. 1. vet. Græc. l. 1. p. 5.

XLIV.

Quando regnum Atheniensium cœpit?

Cœpit illud regnum temporibus Moysis.

XLV.



XLV.

Rex primus hujus regni quis fuit?

Fuit conditor hujus regni Cecrops Ægyptius.

XLVI.

Quando desiit hoc regnum?

Desiit temporibus Saulis in Codro; post cujus generosam pro patria mortem, cœpère Archontes.

Fuere hi Archontes perpetui, instar Regum, sed qui tamen administratæ Reipublicæ rationem populo reddere tenebantur, docente *Meursio* l. 1. c. 1. de Archont. qui etiam ex Eusebio eos ordine recenset. De Codro consulendus *Justinus* l. 2. c. 6. & *Vel.* l. 1. c. 2. n. 2.

XLVII.

Carthaginienses quando cœperunt?

Temporibus Joas Regis Judæ, & Jehu regis Israëlis. Horum

rum temporibus instaurata est â Didone, Carthago.

v. Cl. *Hornius* in arca Nohæ. p. 61. Æmula Romæ hæc urbs, ratione status ita jubente, excisa, prout accurate judicat *Excell. D. Beer*, Patronus pl. colendus, notis ad Vell. l.1. c.12. v. *Livius* dec.6.l.3. *Florus* l.2. c.15. Accuratius autem Remp. Carthaginiensium descripsit *Ubbo Emmius* Tom. 3. Vet. Græc. p. 157. & l. 5. Rerum Chron. p. 243.

XLVIII.

Romanum autem regnum quando cœpit?

Cœpit illud imperante Jothamo, ubi Roma â Romulo condita.

XLIX.

Qui docti viri floruerunt in hac Monarchia?

Temporibus Salomonis vixit Homerus Græcus Poëta. Floruit

Floruit etiam Hesiodus, Theognis & Æsopus.

L.

Qui Prophetæ vixerunt?

Sub Jechonia rege Judæ, Jeremias & Ezechiel. Sub Jojakimo Daniel. Sub Uzia, Amos, Oseas, Joël, Isaias.

SECUNDA MONARCHIA.

I.

Quæ est secunda Monarchia?

Medo-Persica.

II.

Quis primus ejus Rex?

Cyrus Persa, ex Regia Medorum familia natus.

Digna observatu invenies apud *Magnif. D. Dilherrum* Tom. 1. Philol. disp. p. 265. & seqq. Cyrum autem, quod

ex

ex matre longe nobiliori, quam patre eſset natus, Delphicus Apollo *Mulum* vocavit, eoque ipſo more ſuo, (quo de nonnulla exempla adducit *Phil. Carol.* not. ad Sol. Pol. *Georgius Mœbius* tr. oracul. Ethn. c. 4. p. 55.) de ſucceſsore regni ſciscitantem, deluſit. *Herodot.* l. 1. Integram, de Cyro, publici juris fecit diſp. A. C. 1653. *D. Johannes Erneſtus Gerhardus*, præmaturâ morte illuſtri Academiæ Jenenſ. ereptus.

III.

Quis fuit parens Cyri?

Cambyſes Perſa non ignobilis, cui Aſtyages, ultimus Medorum Rex, Mandanen filiam in uxorem dedit.

IV.

Quando factus eſt Cyrus Monarcha?

Devicto avo Aſtyage, Medorum; Crœſo, Lydorum rege, & Nabonido Medo.

V.

A quo educatus est Cyrus?

A Mithridate, Regis Astyagis, pastore, & Spaca, (quæ vox, lingua Medorum, canem denotat.) Nutrice inde fabula, Cyrum à cane educatum.

Hoc solenne fuit Historicis, fabulosis narrationibus, veritatem nonnunquam vel obprimere, vel occultare. *Justinum* l. 1. & *Cœlium Rhodiginum* l. 21. antiq. Lect. c. 37. dum hanc, de Cyri nutrice, fabulam, veritati consonam esse putant, aliquid humani passos esse, nemo facile inficiabitur. v. *Herodot.* l. 1. Non tamen semper tales admirandi Heroum ortus, & conservationes, fictis annumerandi, quo de vid. *B. Rupertus* ad *Flor.* l. 1. c. 1. n. 3. p. 46.

VI.

Numne Judæis favit Cyrus?

Liberavit eos ex Babylonica 70.

ca 70. annorum captivitate; Suntque reversi Judæi, ducibus Sacerdotibus Jehu, & Jerobabale.

v. *Carolus Sigon.* Comment. in Sulpit. Severum p. 842.

VII.

Sed quis ultimus est hujus Monarchiæ Rex?

Darius Codomannus.

VIII.

Quid sub successoribus Darii contigit?

Pertinet huc historia Esther; nam Xerxes, filius Hystaspis, in sacris Ahasverus dictus, Esther duxit in uxorem.

IX.

Quid factum est sub Dario Notho?

Restauratio templi Hierosolym.

ſolym. cœpit, ejusque regni anno ſecundo, (quo prophetarunt Zacharias & Haggæus) initium ſumunt 70. ſeptimanæ Danielis.

Hanc de initio LXX. hebdomadum ſententiam ſuo adprobat calculo *B. D.* **König**/Præceptor quondam, poſt obitum etiam deſiderat: in Vindic. p. 649. cui addendus *D. Strauch.* Breviar. Chron. part. ſpec. l. 4. c. 29. q. 9. p. 861. & q. 13. p. 883. *Majer* diſſert. Theol. de 70. ſept. p. 63.

X.

Hæ ſeptimanæ quale temporis ſpatium denotant?

Denotant 70. ſeptimanæ, annos ſolares, qui conficiunt annos 490.

XI.

Quis earum eſt terminus finalis?

Ultimum Hieroſolymæ, popu-

populique Judaici excidium.

XII.

Sed quis est Darii Nothi successor?

Filius Arsaces Artaxes Mnemon dictus. Sub hoc Esra & Nehemias Hierosolymam missi, ac ultimus Prophetarum V. T. Malachias innotuit.

XIII.

Quidnam in Romano Regno factum?

Temporibus Darii Hystaspis, ejecti Reges Romanorum, quorum ultimus L. Tarquinius Superbus.

XIV.

Qui sunt Reges Romanorum?

Septem numerantur, quorum primus Romulus. 2. Nu-

ma Pompilius. 3. T. Hostilius. 4. Ancus Martius. 5. L. Tarquinius Priscus. 6. Servius Tullius. 7. Tarquinius Superbus. Vixere sub his septem Græciæ Sapientes, legibus vitæ, illustres.

Septem Romanorum Regum vitas eleganti disputat. inclusit Excell. Argentoratens. sidus *Bœclerus*; de quibus tamen uberius agit *Boxhornius* tr. de Rom. Imperio. Felden. in Elem. Juris l. 4. c. 1. p. 776. Septem vero, quos Græcia venerata est, sapientum convivium descripsit *Plutarchus*, commentario eleganti, à *Clasenio* illustratus.

TERTIA MONARCHIA.

I.

Quæ est tertia Monarchia?

Græca, ita dicta à primo

ejus

ejus conditore Alexandro M.

II.

Ex quo natus est Alexander?

Ex Philippo Macedonum Rege, & matre Olympiade, Neoptolemi, Regis Molosso-rum filia. Ea autem nocte, qua natus Alexander, templum Dianæ Ephesiæ, ab Herostrato incensum, conflagravit.

Templum hoc describit *Plinius* H. N. l. 36. c. 14. mentioque ejus fit in Actis c. 19. v. 24. Spurium autem fuisse Alexandrum M. qui se Dei filium putavit (v. *Phil. Carol.* in Agell. p. 477.) fatetur *Justinus*. l. 11. c. 2. §. 4.

III.

Quis fuit Præceptor illius?

Aristoteles, à Stagira oppido, Stagirita, dictus.

Vitam ejus authore Ammonio scri-

ptam, juxta cum aliis huc pertinentibus, invenies in *Petri Nunnesii* Philoſophiæ Peripat. Inſtit. cui addatur, Summus in re litteraria *Voſsius* L. de Sect. Phil. c. 17. p. 87. De Philoſophia vero Ariſtotelica v. elegantem *Excell. Dürrii*, Fautoris hon. diſs. Iſag. *Piccarti* præfixam.

IV.

Quando factus eſt Monarcha?

Poſt devictum ad Arbelam, Darium Codomannum.

V.

Quid de ejus imperio poſt mortem factum eſt?

Proceres regnum inter ſe diviſere.

VI.

In quot regna?

In quatuor, nempe in Ægyptiacum, Macedonicum, Aſiaticum & Syriacum.

VII.

Regnum Ægyptiacum quis obtinuit?

Ptolomæus Lagides, Philippi Macedonum Regis, ex Arſinoë pellice, Filius.

VIII.

Quis ultimus in hoc regno?

Cleopatra, quæ ſuavitate orationis Antonium in ſui amorem pertraxit, ut repudiatâ, ſorore Auguſti, Octaviâ, eam ſibi conjugem eſse voluerit. Prœlio dein ſuperatâ ab Auguſto, aſpidibus uberibus admotis, vitam clauſit.

Splendidam, qua vehebatur, cum obvia Antonio ſuo eſset, navim, deſcripſit *Chriſt. Matth.* Theat. Hiſt. p. 370. De cœna quoque quam paravit, agit *Chok.* fac. Hiſt, l. 1. c. 3. p. 14.

IX.

Quis regnum Macedonicum accepit?

Casſander, Antipatri filius.

X.

Quis ultimus in hoc Regno?

Perſeus.

XI.

Cui obtigit regnum Aſiaticum?

Antigono; deſiit autem rurſus in ſucceſsore ejus Demetrio Polyorcete.

XII.

Cui Syriacum obtigit?

Seleuco, Philippi Macedoniæ Regis Duci.

XIII.

In quo deſiit?

In Antiocho VIII. Aſiatico?

XIV.

XIV.

Quid sub regno Ægyptiaco contigit?

Sub Ptolomæo Philadelpho versio Pentateuchi in lucem prodiit.

Veritati se fabulæ miscuerunt: cellulas [illegible] m nescio quas, Propheticumque [illegible] sum, senioribus his tribuunt *Ari*-[illegible], & stramineus, juxta *Scaligerum* Elench. Tribæres. c. 13. *Gorionides*. *Josephus* quoque l. 12. c. 2. antiquit: dum Historiam, Græcæ hujus translationis recenset, fidem non admodum ex asse meretur. Illud nihilominus videtur certum, *versionem hanc*, quæ annis fere trecentis, ante adventum Christi prodiit, *omnium primam esse*. Utrum autem, ea quæ hodie extat, genuina sit, dubitant haud immeritò magni nominis Viri, quorum Catalogum texit *Exc. Bosius* Exercit. ad c. 2. *Timoth*. c. 4. p. 17. Num Hebræo codici præferenda, quod *Cl. Vossio* videtur, de eo consulendus *Strau*-

chius disſert. de ætate mundi, aliique qui ſe Voſsio obpoſuerunt.

XV.

Quinam illam adornarunt?

Judæi in Ægypto dum temporis degentes.

MONARCHIA QUARTA.

I.

Quæ eſt quarta Monarchia?

Romano-Germanica.

Ratione originis vocatur Romana; ratione ſubjecti recipientis, à temporibus Caroli M., Germanica.

II.

Cur ita vocatur?

Quia â Carolo, (a) natione & ſanguine Germano, (b) jure belli, authoritate P. R. ac Orien-

Orientalium Imperatorum consensu, primum ad Francos, dein per æternum fœdus Ottonis M. ad Germanos, est translata.

(a) Omnino hic adeundus *Burgoldensis*, discurs. V. part. 1. §. 5. p. 175. edit. alt. & qui sub *MonZamb.* latet, *Samuel. Puffendorf.* (v. Epist. illius d. F. G. J. G.) de statu Imperii Germ. c. 1. cui jungendæ notæ Pacif. à lapide. Verbo. *Carolus M. stirpe est Germanus, Patria Gallus.*

(b) De quibus juribus quousque sese extendant. v. *Burgold.* l. c. disc. 4. §. 4. p. 188.

III.

Quando id factum?

Sub finem seculi Octavi & ante medium seculi 10.

IV.

A quibus gubernatum est Imperium Romanum?

Ab Imperatoribus partim

Gentilibus partim Christianis.

V.

Christiani quando cœpere?

Sub initio Seculi IV.

VI.

Quis primus fuit?

Constantinus M. parente Chloro & matre Helena natus.

Cauponis filiam Helenam fuisse, à veritate alienum ostendit *Joh. Majer* tr. de different. Schismat. p. 30. Falsum tamen illud admiscet, dum crucis inventionem fœminæ huic, forte ab *Ambrosio* in fraudem inductus, tribuit. Hinc cum fabulæ quàm Historiæ similior videretur, eam inter Apocrypha *Gelasius Papa* retulit. Rem omnem vero satis excussit *Cl. Kipping*. l. 2. antiquit. c. 8. p. 494.

VII.

Sub Constantino quis fuit status?

Hic sedem Imperii relicta Roma

ma Constantinopolim transfert, illudque inter tres tandem filios dividit.

Maxime hæc divisio Romanum Imperium debilitavit, damnaque exinde provenientia luculenter monstrat *Pacif. à Lap.* ad Monzamb. p. 161. Immortalis *Calixtus* disc. Germanico, de Vera Rel. §. 4. *Nob. D. Strauch.* Prof. Jen. dissert. de statu Eccl. super. Secul. §. 3. c. 1. His adde discurs. sing. de metropoli non deserenda *Nob. Forstn.* ad Tac. part. 1. p. 126. & *Exc. D. Felvvingeri* Fautoris ac amici colendi dissert. Polit. de causis Monarch. p. 57.

VIII.

An usque ad nostra tempora permansit in hoc statu Imperium?

Non sed divisum est in Orientale & Occidentale.

IX.

A quo est divisum?

A Theodosio Magno.

X. *Quan-*

X.

Quando id factum?

Sub finem Seculi IV.

XI.

Inter quos est divisum?

In filios Arcadium & Honorium.

XII.

Quis ergò occupavit Orientem?

Arcadius, qui Ruffinum oppressit.

XIII.

Quis occupavit Occidentem?

Honorius, ſub quo Gothi, Vandali & Schyticæ gentes, Romanum imperium vaſtarunt.

De Gothorum origine & progreſsu ſcripſerunt inter alios, *Procopius* & *Jornandes*; Quorum hic, non admodum magnam fidem meretur. Eos autem ut & Van-

& Vandalos, Germanis accensendos esse, cum *Cluverio* l. 3. introd. Geogr. c. 33. p. 314. 315. sentit *Cyr. Lent.* in Imperat. l. 1. c. 4. Plura de Regibus Gothorum qui desiderat adeat. *Bibl. Hisp.* Tom. 1. c. 7. p. 146.

XIV.

Imperium Occidentale quam diu duravit?

Usque ad finem Seculi V.

XV.

Ultimus quis fuit Imperator Occident?

Augustulus. Post quem nulli amplius, usque ad Carolum M. occidenti præfuerunt.

Ita illud regnum, quod in Augusto cœpit, rursus in Augustulo interiit; ut adeò non de nihilo sit, nomina sæpius esse fatalia, judiceque *Jornande*, regna sæpius in iis deficere, à quorum nominibus inchoant. Facit huc sententia magni

Erasmi

Erasmi Ep. ad Leon. X. p. 147. nominum ipsorum haud quaquam contemnenda auguria.

XVI.

Qui itaque interea Occidentis Imperium tenuere?

Post Augustulum exortum est regnum Gothorum, Longobardorum; ac in Italia coepere Exarchi.

XVII.

Quis primus in regno Gothorum?

Odoacer, Herulorum Rex, qui primus se regem Italiæ dixit.

XVIII.

Quamdiu duravit hoc regnum?

Usque ad medium Seculi Sexti.

XIX.

Quis ultimus itaque regni Gothici in Italia?

Tejas à Narsete victus, ac cum

cum eo regnum Italiæ deletum.

XX.

Quale post hoc regnum exortum?

Longobardicum. Longobardos enim Narſes, ſummus Italiæ gubernator, in Italiam pertraxit.

Longobardi, primitus Winili dicti fuere. *Güntherus* autem in Lig. l. 1. v. 127. à Longis barbis recte dictos putat, cui adſtipulatur *Paulus Diaconus* l. 1. c. 9. v. *Lentulus* in Imper. cap. 4. p. 28.

XXI.

In quo ſeculo eſt exortum?

Poſt medium Seculi Sexti Anno Chriſti 670.

XXII.

Quis fuit primus Rex?

Primus ſe Regem fecit Alboinus, qui Anno Chriſti 568. ex Pannonia Longobardos in Italiam duxit.

Singulare quid de Alboino recenset *Carol. Sigon.* l. 1. de Regno Ital. p. 8. Post multas in Italia expugnatas urbes, cum & Ticinum triennii obsidione cinxisset, nec tamen adhuc expugnare poterat, *populum se trucidaturum iratus, si urbem caperet, concepto voto jurarat. Id, ne post victoriæ compos, efficeret, triste omen oculis oblatum admonuit. Ingrediente ferociter urbem, equus ejus in limine portæ procubuit; neque aut calcaribus, aut verberibus ullis poterat excitari. Qua re animadversa, unus ê Longobardis dixit; revoca Domine votum, quo te obstrinxisti populum hunc si urbe potireris pessundaturum, & urbem ingredieris: nam verè Christianus in hac urbe residet populus. Tum Alboinus, atqui civibus inquit, veniam me daturum si dicto audientes fuerint, spondeo. Atque his dictis, repente equus, magna cum omnium admiratione surrexit.* Hactenus Sigonius.

XXIII.

Hoc regnum quando desiit?

Circa finem Seculi VIII.

XXIV.

XXIV.

In quonam desiit?

In Desiderio, qui victus est à Carolo M. atque sic Longobardorum regnum in potestatem Francorum pervenit.

XXV.

Num autem iterum Carolus M. factus est imperator Occidentis?

Utique ac in eo translatum est imperium ad Germanos.

Dubitat *Grotius* de J. B. & P. l. 2. c. 9. §. 11. p. 209. num hæc translatio facta sit? ast illius indubitatæ fidei documenta profert Exc. *D. Conringius* in aureo de Germ. Imp. tr. c. 7. & 10. Quæ verò Pontificis partes ea in re fuerint, ex ipsis Pontificiis scriptoribus videre est. v. *Censf. Aphorism. de statu Ecclesiæ restaurandæ, Greg.* XV. exhib. p. 14. Paucis, *quicquid Leo* III. *in hac translatione præstitit, id tanquam civis primarius urbis Romæ,*

Roma, consensu & concessione S. P. R. effi-cere potuit. Pluribus hanc rem nervose satis excussit Exc. *D. Kortholt* in Erörte-rung der Frag / wie der Papst 2c. contra Laurenberg.

XXVI.

Num penes eos permansit?

Permansit penes Germa-nos, sed in diversis familiis.

XXVII.

In quibus nam?

In Carolina, Saxonica, Fran-conica, Suevica & Bavarica. Tandem ad Austriacos est de-latum.

XXVIII.

Sed quinam ...ant Exarchi?

Erant Vicarii ab Impera-toribus Orientalibus in Ita-liam missi, quorum sedes Ra-venna fuit.

Exarch

Exarchatus historiam post *Erycium Puteanum*, non ita pridem velut in brevi tabella exhibuit *D. Strauch.* diss. de Exarchat.

XXIX.


Quis primus?

Longinus.

XXX.

Quis ultimus?

Eutychius, fugatus in Græciam ab Aistulpho Longobardorum Rege, qui Exarchatus dignitatem, quæ ultra sesqui seculum duraverat, sustulit.



SECULUM I.

I.

Qui sunt seculi primi Imperatores?

1. (a) Augustus, 2. Tiberius, 3. Cali-

3. Caligula, 4. Drusus, 5. Nero, 6. Galba, 7. Salvius Otto, 8. Vitellius, 9. Fl. Vespasianus, 10. T. Vespasianus, 11. Domitianus, 12. Nerva.

Augustus regnat, summo descendit Olympo,
ipsa Dei soboles, tribuens primordia seclis.
Imperium *Liberi* cernit tua funera Christe,
Invisus *Cajus*, *Drusus*, post pessimus ille
Nero cum *Galba*. Sequitur quos *Salvius Otto*,
Aulus Vitellius, binos post *Vespasianos*,
Domitianus adest monstrum, sed *Nerva* probatur.

(a) Non ex eo quod imperium augere debeat, Augusti nomen descendit, sed ab AUCTU, quod verbum sacrum, fere ejusdem significationis, ac *immolare, mactare*. Unde *Augustus* idem est ac *sacer*, *sanctus*, *homine major*, *DIS proxi-*

proximus. v. pluribus *Bernegg.* ad Suet. Aug. c. 7. p. 27. *Augustus Buchnerus* in Lex. voc. AUGUSTUS. p. 114. Quæ vero differentia inter Cæsarem & Augustum, docet, *Robigius*, Robig. l. 6. c. 2. *Rupertus* in Bes. p. 315.

II.

Quis fuit ante Augustum?

C. J. Cæsar, qui Monarchiæ fundamenta jecit; sed non consummavit.

Quæ Reip. Romanæ, ante tempora Imperatorum fuerit facies, brevibus delineare, non abs re erit. Primis itaque temporibus, per 243. annos Roma sub 7. *Regibus* fuit; quibus exactis, regioque nomine prorsus deleto, annuum *CSS. imperium*, quod usque ad annos 367. duravit, successit. Primi autem in his fuere, L. J. Brutus, & L. Tarquinius Collatinus. A morte verò Bruti, P. Valerius Publicola, consulare imperium, populi potestate incrementa capiente, coërcuit. Porro Consulum potestati *Censores* detraxêre; quorum officia Cic. l. 3. d. LL.

C recen-

recenset. Hic succedebant *Dictatores*, à quibus provocandi jus non erat. Dictatores excipiebant alii, præprimis verò *Tribuni Plebis*, negotiorum Senatus omnium inspectores. Tandem abrogato Magistratu antiquo, cujus nil nisi vana nomina supererant, *Cæsares* imperium adgressi. De cöeteris Magistratuum Urbanorum, Provincialium, & Municipalium officiis, nervose agit. Nob. *D. Hahn.* Observat ad *VVesenb.* c.1. Tit. 13. per tot.

III.

Quæ causa, quod non consummârit?

Vindicem numinis iram in se concitarat, quod multa flagitiose & crudeliter perpetraverat; Hinc mediis in conatibus, â Bruto & Cassio, ad statuam Pompei Magni, nefarie est interfectus, operisq; cœpti gloriam, successori reliquit.

Licet, Cic. tom. 3. p. 798. Orat. 40

quam

quam pro M. Marcello restituto habuit, nimium quantum in laudes Cæsaris se diffundat, adeo, ut aliorum Clarissimorum res gestas, nec contentionum magnitudine, nec numero prœliorum, nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec dissimilitudine bellorum, cum illius factis, conferri posse, putet, *non tamen eapropter Romanus Monarcha primus, sed primus inter Romanos Imperatores saltim, est constituendus.* Utrum verò jure interfectus, duabus Orationibus disceptat *Kirchn.* vol. 1. Quanquam, si dicendum quod res est, standum omnino â partibus Exc. *Bœcleri* in dissert. ad Suet. Cæs. p. 23. & *B. Ruperti* in Vell. l. 2. c. 72. qui non contemnendis rationibus, Cæsaris cædem injustam fuisse, evincunt.

AUGUSTUS.

IV.

Qua ratione ad imperium Augustus pervenit?

Devicto Antonio, cuncta

cta discordiis civilibus fessa, nomine (a) *Principis*, callido plane consilio, minuendæ invidiæ causa, sub imperium accepit.

(a) Hæc vox nihil eo tempore Monarchicum notabat, sed in Rep. planè quidem libera, eminentiam, & excellentiam virtutis, meritorum, nobilitatis, dignitatis & opulentiæ exprimebat; quam explicationem *Bœcleri*, suis notis addidit *Schmidelius*, in *Boxhorn.* Imp. Rom. p. 486. Quibus verò artibus imperandi, Augustus Monarchiam parârit, ostendit omnium artium imperandi promus condus, *Tacitus* l 1. ann. cui adde *Felden.* part. 4. Elem. Juris c. 2. membr. art. 1. p. 828.

V.

Quid sub Augusto factum?

Natus est ex Maria, è semine Davidis oriunda, Messias, in Bethlehem.

Dicitur

Dicitur Christus ex Bethlehem oriturus, non quod ex Davidis, Bethlehemi nati, posteris sit prodíturus, quod Rabbinis placere videtur, sed quod illud ipsum oppidum, fuerit verus locus, nativitate Messiæ celebris. Natus itaque est Christus ἐν βηθλεὲμ τῆς Ἰουδαίας *Luc.* 2. v. 5. 6. 7. *Matth.* c. 2. *Joh.* 7. v. 42. *Mich.* 5. v. 1. seqq. (nam aliud adhuc est Bethlehem, ad tribum Sebulon pertinens, *Jos.* 19. v. 15.) & quidem in ipsa urbe, non in rure Bethlehemitico, quod *Baronius*, *Originem* & *Eusebium* secutus, Tom. 1. ad annum Christi I. n. 3. somniat; quem tamen expugnat summus noster *Dilherrus*, de sacris studiis & Eccl. meritissimus disp. Acad. tom. 1. disp. 14. q. 10. p. 441. *Casaubonus* Exercit. contra Baron. 2. Venerabilis *Calixtus* Concord. Ev. l. 1. c. 8. *Petavius* Rat. temp. part. 2. l. 4. c. 2. De eo autem, utrum Christi nativitas Augusto nota fuerit, non immerito dubitat *Boxhornius*, Hist. Univ. p. 11. Insuper illud pro incerto habendum, quod ea nocte, qua Christus natus, templum pacis Romæ conciderit, quo de videatur *Pflau-*

mern Mercur. Ital. p. 370. Cæterum de anno, menſe, & die natalis Chriſti, re inter eruditè doctos hactenus diſceptata, conſulendi *Montacutius* Exerc. 11. Annal. Eccleſ p. 360. *Cloppenburg* diſp. ſelect. 8. *Bucholz.* Iſag. Chron. p. 90. *Emmius* Rerum Chron. l. 4. p. 96. *Strauch.* Brev. c. 40. l. 4. p. 1059. Interim nihil certi, de natalis Chriſti die, Eccleſiæ primorum ſeculorum conſtitiſse, luculenter docet ante cit. *Calixtus* program: altero Tr. de perſona Chriſt. præmiſso.

VI.

Quo anno regni Auguſti?

Anno 42. Et ex hoc tempore deducenda ſeries Seculorum.

VII.

Quot jam numerantur Secula?

Sedecim, cùm dimidio decimi Septimi.

VIII.

Quid ſeculi primi initio contigit?

Magi ex Perſia, (a) venere Hiero-

Hieroſolymam. Herodes Aſcalonita paterno genere Idumæus, materno Arabs, infanticidio Bethlehemitarum, Chriſtum ê medio quoque tollere cogitavit. Obiit inſuper Anno Chriſti 18. Auguſtus.

(a) Alii, cum legunt, *Matth.* 2. v. 1. Magos ex Oriente Hieroſolymam venisse, illud, *ἀπὸ ἀνατολῶν*, de Arabia felice interpretantur. Neç deeſt ratio, quæ huic opinioni probabilitatem conciliet. Si enim ſola Arabia thus mittit, quod *Solinus Polyhiſtor.* c. 46. cum *Plinio.* l. 12. c. 17. adfirmat, ſpeciem utique veri habet, Magos ex Arabia hunc theſaurum ſecum attulisse. Sed cum ſalus Eccleſiæ Chriſtianæ in hac re non vertatur, illaque ſententia, nulla abſurditate prematur, eam ſequi, cuivis integrum eſto. vid. Cl. *Kipp.* l. 1. Inſt. Pol. c. 1. & *D. Kortholt.* Tr. de Philoſ. Barb. §. 25. Plura de Magis inveniuntur,

apud Bulling. in Eclog. ad Arnob. l. 2. c. 6. p. 341. Non possum non addere hîc elegantissimum, ad Studiosam juventutem, Epiphonema, de sacris & profanis studiis optime meriti *D. Georg. Calixti* in Hist. Mag. p. 12. Ita autem ille. *Habent, quod glorientur, & gaudeant, omnes bonarum litterarum & Philosophiæ Studiosi, nempè cum hominibus gentilibus, natales filii sui Deus patefaceret, & ex iis in Ecclesiam primitias adlegere voluisset, artium & disciplinarum peritis, atque adeo Philosophis eum honorem habuisse, ut ex ipsorum numero, qui primi omnium essent, & reliquis præirent, adsciverit.*

IX.
TIBERIUS.

Sub quo Imperatore vixit Christus?

Sub Tiberio, cujus imperii anno 15. anno ætatis 30. (a) ministerium suum est adgressus, ac anno ætatis 35. imperii Tiberiani 20. passus, mortuus, ac sepultus.

(a) Non

(a) Non levis disputatio orta est inter doctos, de numero Paschatum, â Christo suscepto baptismo, celebratorum. Nonnulli duo tantum; quidam tria; alii 4.; rursus alii 5. eum celebrasse statuunt. Cum verò multis, omnium optima, Historiæque Evangelicæ adprime conformis esse videatur, ea, quæ quatuor statuit, sententia, saltim hæc indicasse sufficiat.

X.

Num verò Tiberius fuit successor Augusti?

Commiserat Augustus instinctu callidissimæ conjugis Liviæ, Tiberio privigno, imperium, quod quidem post mortem ejus adiit, ac in principio optime administravit; sed mortuâ matre, dominationem violentiorem exercuit.

XI.

Quid porro factum?

Herodes Antipas decolla-

vit Johannem Baptiſtam, Paulusque converſus, Anno Chriſti 36.

XII.

Quando Tiberius obiit?

Obiit Anno Chriſti 37. in pago Campaniæ Lucullana, (qui nihil in omni vita majori cum cura egit, quam ut ſemper eſset ſui quam diſsimillimus) ingenti cum gaudio populi, qui corpus ejus in Tiberim projiciendum eſse, clamabat.

Vellejus in laudando Tiberio, nimium quantum ſibi indulget, l. 2. c. 94. n. 2. Sed, cum ſub Tiberio, militiæ dignitates adeptus ſit, adulatione abreptus, eum elogiis ornavit, quem plura publicæ authoritatis monumenta, gravius notaverant, Judice *Bœclero* in orat. de Vell. Hiſt. p. 27. addatur *Freinshem.* Expoſ. ad l. 1. annal. *Tac.* cap. 1. n. 1. §. 4. qui quo-

quoque, inter adulatoriæ artis ſtudioſos, Vellejum refert. Cœterum de Tiberio omnino conſulenda elegantiſsima Diſp. quam Anno Chriſti 1661. edidit *Exc. Boſius.*

XIII.

Qui docti Viri ſub Tiberio floruerunt?

Strabo, Livius, Valerius, Vellejus. His addendus, callidus temporum, morumque Tiberii admodum peritus, Sejanus.

Is ſemper res novas moliens, *Sejanismo* viam oſtendit, quo de fuſius agit *Hornius* diſsert. Hiſt. Pol. 30. p. 279. *Bœcl.* diſsert. ad Suet. Tib. §. 26. ſeqq. p. 63. *Enenkel* Tr. d. Sejan.

XIV.

C. CALIGULA.

Fuit ne bonus Imperator?

Initia imperii magnam de

eo ſpem faciebant, enim ver ò poſt, adulteriis, luxuriâ (a) prodigalitate, ſuperbiâ & inſolentiâ, nec non (b) divinorum honorum cupiditate, omnibus ſe exoſum reddidit. Hinc tandem â Chærea, viro antiquæ virtutis, & Sabino, eſt interfectus.

(a) v. *Heidmann.* Epit. Hiſt. l. 4. p. 72.

(b) Plane cedro digna ſunt, quæ obſervat in *Boxhorn.* Pol. l. 1. c. 4. p. 44. *Hornius.* Ita autem, poſt quam elegantem illam quæſtionem, an ad Majeſtatem Principum requiratur adoratio, excusſiſset, inquit; *Illi Reges, qui divina adoratione colui voluerunt, â Deo graviter puniti ſunt; Nebucadnezar in beſtiam fuit transformatus; Haman in patibulo ſuspenſus; Alexander M. veneno necatus; Herodes â vermibus devoratus, Caligula, Heliogabalus, ignominioſiſsimâ morte necati.* Tand. concludit cum Tholoſano;

omnia

omnia illa illicita esse, quæ vulgo adulatores regibus tribuunt, ut cum divinam principum clementiam, sacram Majestatem, æternitatem imperii, & alia nugatoria crepant.

XV.

Quid sub eo factum?

Simon Magus, gente Samaritanus, (a) primus ab ascensione Christi hæreticorum, exortus est; ac primo ejus imperii anno, natus est Fl. Josephus, Hebræorum Livius.

(a) Πρωτότοκος υἱὸς τοῦ διαβόλου, de cujus impiis dogmatibus v. *Just. Mart.* Apol. 2. pro Christ. *B. D. Hornejus* Hist. Eccl. l. 1. c. 23. §. 21. *Pappus* Epit. p. 295. *Micrælius* Syntagm. Hist. Eccl. q. 35. Romam eum sub Claudio venisse, ac ob artem Magicam, statuâ â P. R. honoratum fuisse, tradit Baronius, sed non probat, utut *Just. Martyr. Irenæi ac Tertull.* authoritate sese muniat. Adeat modò Summum nostrum *Dn. Dilherrum* Tom.

1. disp. p. 64. 65. *D. Major* Exeg. πραξαπ. c. 8. *Boxhorn*. Q. Rom. 13. p. 61. *Rader*, ad Martial. p. 40. Quo loco sit habendum certamen, Simonis Magi cum Petro, satis indicat *Pappus*. l. c. p. 22. & ad eum *Kipping*. p. 23. *Maresius* dissert. de Antich. p. 79. *Hornius* ad Sulp. Sev. p. 369. qui tamen Hist. Eccles. p. 46. fabulæ hujus fontem ex Neronis, apud *Suet.* vita, c. 12. ostendit.

XVI.

DRUSUS.

Obtigit ne Druso, á morte Caligulæ imperium?

Evectus est ad illud favore militum; sed prudenti consilio, nomine Imperatoris abstinuit, nimiosque honores recusavit. De cœtero γυναικοκρατέμενος, aleæque (cujus artem libro emisso evulgavit,) peritissimus fuit.

XVII.

XVII.

Quæ digna memoratu ejus habet imperium?

Matthæus, Marcus, Lucas medicus, Syrus Antiochenus, Evangelicam historiam scripsere; ac habitum est Concilium Apostolicum Hierosolymitanum, Anno Christi 49.

Et hoc, de concilii tempore, calculo quoque usus est B. D. *Hornejus* l. 1. Hist. Eccl. c. 10. *Vedelius* Tr. de Cathed. Petr. l. 1. c. 6. proxime ad nostrum accedit, tempusque hujus concilii collocat in A. C. 48. & 6. Claudii. Ast longissime ab hac sententia disces sit *Heidegg.* de libert. â Lege Cib. contra *Curcellaum* c. 10. qui & integrum hoc caput, huic concilio impendit.

XVIII.

NERO.

Quem successorem habuit Caligula?

Neronem, avunculo suo Cali-

Caligulæ, non dissimilem, qui veritatem Paterni (a) augurii, vitâ probavit, & vitia cujusque suorum, quasi tradita & ingenita, retulit.

(a) Ita enim *Suet.* l. 6. c. 5. De genitura ejus statim multa & formidolosa multis conjectantibus, præsagio fuit & Domitii patris vox, inter gratulationes amicorum, negantis *quidquam ex se & Agrippinâ, nisi detestabile, & malo publico, nasci potuisse.*

XIX.

Qualis in vita & imperio fuit?

Commendatum ejus quinquennium; sed reliqua vita turpissima, quippe qui flagitiis nemini cuiquam concessit. Præter Senecam Præceptorem suum, Matrem & Agrippinam, fratrem Britannicum, Octaviam & Poppæam

pæam Sabinam uxores, amitamque Domitiam interfecit.

Hieronymus, fictis quibusdam Senecæ ad Paulum Epistolis, inductus, eum Sanctorum Catalago addidit. v. Phil. Carol. l. 2. Var. Lect. c. 3. uberius hæc excutiens.

XX.

Ecclesiæ quis status fuit sub Nerone?

Acerbissimus, ob odium gentilium in Christianos.

XXI.

Quid ergo illi contigit?

Perpessa est persecutiones gravissimas.

XXII.

Quot numerantur persecutiones?

Decem, quarum 1. cœpit sub Nerone. 2. Sub Domitiano. 3. Sub Trajano. 4. Sub Hadriano. 5. Sub Severo. 6. Sub

6. Sub Maximino. 7. Sub Decio. 8. Sub Valeriano & Gallieno. 9. Sub Aureliano. 10. Sub Diocletiano & Maximiano.

His decem, ſub Ethnicis imperatoribus, perſecutionibus, poſſent ab Anno Chriſti CIↃC. aliæ decem ſub Chriſtianis addi, quarum 1. Waldenſium. 2. Husſitarum. 3. Lutheranorum. 4. Helvetica. 5. Hugonotica. 6. Hiſpanica. 7. Papalis. 8. Perſecutio per Auſtriam, Stiriam, Carinthiam, Bohemiam, Sileſiam. 9. Hibernica. 10. Pedemontana Sabaudica. De quibus v. *Georg. Hornius*. Hiſt. Eccl. præfat. ex qua ordine eas recenſere, viſum fuit.

XXIII.

Primæ perſecutionis quæ cauſa?

Præter (a) calumnias, quibus Chriſtiana veritas premebatur, primam perſecutionem A. C. 64. excitabat (b) incendium urbis Romæ, caſu, aut dolo Neronis, exortum.

(a) Potiſ-

(a) Potiſsimas hic uno complecti faſce, non abs re. Vocabant itaque Ethnici Chriſtianos, Aſinicolas, cujus nominis cauſa Gnoſtici. *Epiphan.* Hæreſ. 26. Novellos v. *Arnob.* l. 2. Tertium genus hominum, ſtulta credulitate deceptos, Rudes, Homines de ultima fæce, v. *Minut. Fel.* Pauperes, Lucifugas, Pallidos, Temerarios, Crucicolas, Sarmentitios & Semaxios, Sibylliſtas, Extorres, Libellaticos, Thurificatos, Sacrificatos (quibus de videatur *D. Cellarius* diſsert. de Eccleſia. A. C. 1650. edita. §. 21. D. Meiſii. diſp. de Perſecut. §. 52. p. 54.) Biothanatos, Piſciculos.

(b) v. *Tacitus.* 15. Annal. c. 44.

XXIV.

Quinam hac perſecutione periêre?

Inter innumeros alios Petrus, Paulus, Jacobus minor, Philippus & Barnabas, propter fidem in Chriſtum, occiſi ſunt.

XXV.

XXV.

Cum tantus fuerit Nero Tyrannus, qua morte interiit?

Conſcientiæ ſtimulis ex carnificatus 14. imperii annô ferrum jugulo adegit; atque ſic in eo progenies Cæſarum defecit.

GALBA.
OTTO.
VITELLIUS.

Trium horum imperium, biennii ſpatio, divina providentia incluſit.

XXVI.

FL. VESPASIANUS.

Fuit ne dignus imperio?

Maxime; nutantem ſiquidem rem Romanam reſtituit, ſummâ que cum laude ei præfuit.

Prædixit

Prædixit ei imperium Fl. Josephus teste *Suet.* l. 8. c. 5. *Suid.* in voce JOSEPH. p. 414. *Cusp.* in Vesp. p. 23.

XXVII.

Quid factum sub eo?

Hierosolyma est excisa Anno Christi 70.

De hoc excidio. v. *Tac.* l. 5. Hist. c. 11. *Josephus* l. 7. d. bello Judaico, Author, qui judice *Cocco* Cens. p. 120. sub nomine *Egesippi* circumfertur, (cum tamen vel Ambrosius, vel Theodosiani ævi, alius sit. v. *Bosius.* disp. in Perioch. Fl. Josephi §. 32.) l. 3. & 4. *Hornejus* Hist. Eccl. l. 1. c. 14.

XXVIII.

Quid in Ecclesia factum?

Cœperunt Episcopi Romæ, Anno Christi 70. quorum primus Linus.

XXIX

Docti Viri qui floruerunt sub Vespasiano?

Q. Curtius. (a) Quintilianus.

nus. Plinius II. Hiſtoriæ naturalis conditor.

(a.) v. *Voſsius* l. 1. de Hiſt. Lat. c. 28 *Degor VVhear* in Relect. bono publico â *Cl. Arnoldo* editis. ſ. 12. p. 92.

XXX.

Tit. VESPASIANUS.

Quid eo imperante contigit?

Primo ejus imperii anno, exarſit Veſuvius Campaniæ mons, incendio Plinio II. fatali.

Pluribus deſcribit hoc incendium, *Plinius* alter, l. 6. Ep. 16. *Dio Caſsius* l. 66. Enimvero præter Veſuvium, (qui rurſus Anno Chriſti 1660. immenſam cinerum lapidumque vim evomuit) quem eleganti oratione deſcripſit, Philoſophus & Poëta inſignis Lipſienſis, *Andreas Rivinus* A. C. 1633. alii adhuc montes ignivomi reperiuntur, nempe Ætna in Sicilia, Hecla in Islandia, v. *Strauch*, diſsert. Hiſt.

Hist. Chorogr. f. post. θ. 4. *Kirchmayr*, de montibus igniv. & quidam in India Occidentali, quo de *Camerarius* Oper. subcis. part. 1. c. 63. p. 287. quibus adde forum Vulcani Puteolis, vulgo *Solfatara*, cujus naturam uberius exponit, *Franciscus Scotus*, Antwerpens. J. C. Itin. Ital. part. 3. p. 243. *Pflaumern*. Mercur. Ital. part. 2. p. 82.

XXXI.

Nulline hæretici sub eo exorti?

Exorti sunt Ebion, & Cerinthus, natione Judæus, pessimi divinitatis Christi hostes.

Confer. *Calixtus*. dissert. de Nest. Hæres. §. 3. *Horn*. Hist. Eccl. l. 1. c. 15. *Michaël Laurentius* Spicileg. Hæres. p. 53. seqq.

XXXII.

Quamdiu imperavit?

Annis duobus, mensibus tribus, ob justitiam & benevolentiam in omnes, amor & deli-

& deliciæ humani generis dictus.

Arcum ei Senatus P. Q. R. ob res præclare gestas erexit, quem exhibet *Andreas Fulvius* Antichita di Roma l. 4. c. 3. p. 111.

XXXIII.

DOMITIANUS.

Quis fuit?

Filius Fl. Vespasiani, Patri & Fratri omnino dissimilis.

XXXIV.

Quomodo Imperium administravit?

Varius aliquandiu in administratione illius fuit; nihilo tamen minus crudelitate, sævitiâ, ac nefandà superbià (a) omnium se odio exposuit.

(a) Ita de hoc Hercule muscarum, *Sueton.* l. 8. c. 13. cum procuratorum

suorum

[s]uorum nomine formalem dictaret Epi-[s]tolam ſic cœpit: *Dominus & Deus noſter ſic fieri jubet.* Quo ipſo, quantum à [m]odeſtia anteceſſorum ſuorum diſceſ-[s]erit, exin patet, quod Auguſtus, Domi-[n]i nomen, nunquam admiſerit *Tertul.* [A]pol. c. 34. *Auguſtus imperii formator, [n]e Dominus quidem dici volebat.* Quæ [c]auſa? ſane, cum ea vox nil niſi herile, [a]c violentum quodammodo imperium [s]ignificet, ſatius eſſe duxit, dominandi [g]narus Auguſtus, invidioſo nomine o-[m]iſſo, rem ipſam tenere. Eandem *Domini* adpellationem abhorruit quoque Tiberius, contumeliam nomen illud putans. *Suet.* l. 3. c. 27. Enimvero decreſcentibus virtutibus, ambitioneque incrementa ſumente, Imperatores communiter, *Dominorum* nomine, adpellati ſunt. Confer. *Conrad. Rittersh.* in not. ad *Plin.* Ep. ad Traj. p. 41. 42. & *Damke* ad Agapet. c. 68. p. 203.

XXXV.

Quid factum ſub eo?

Perſecutio II. cœpit Anno

Christi 93. in qua relegatus Joh. Evangelista, Theologus, (a) in Pathmon, ubi Apocalypsin suam vidit.

(a) Κατ' ἐξοχὴν ita dicitur, quod doctrinam de Deitate filii contra θεομάχους, perspicue tradat. *Suidas* de eo scribit, illum θεολογίαν, h. e. doctrinam de Deitate filii, scripsisse. Et hinc factum quod antiquitas, ei Aquilam addiderit. Confer, μακαρίτην *Calixtum*. proleg. ad Concord. p. 4.

XXXVI.

COCCEJUS NERVA.

A quo revocatus est Johannes?

A Nerva, qui cum esset optimus Princeps, alios quoque in exilium ejectos, Domitiani edictis sublatis, revocat.

XXXVII.

XXXVII.

Quid egit Johannes, postquam reversus esset?

Evangelium ſuum Epheſi, adverſus Ebionem, & Cerinthum, ſcripſit.

XXXVIII.

Quo juſſu?

Juſsu ac rogatu Epiſcoporum Aſiæ.

XXXIX.

Johannes quando obiit?

Anno I. Seculi II. ſub Trajano, Epheſi.

✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻:✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻

SECULUM II.

I.

Qui ſunt Seculi Secundi Imperatores?

1. Trajanus. 2. Hadrianus,

3. Antoninus Pius. 4. Antoninus Philoſophus & L. Aurelius Verus. 5. Commodus. 6. Helvius Pertinax. 7. Didius Julianus.

Trajanus Princeps, docto dat ſceptra *Hadriano*.
Excipit hunc doctum rurſus *Pius Antoninus*,
alter *Philoſophus*, cum *Vero*, Incommodus orbi
Commodus, adgreſsus regnum. Mox *Helvius* inſtat:
ſuccedit *Didius*, turpis cui cura voluptas.

II.

TRAJANUS.

Qualis fuit Imperator?

Chriſtianis iniquus, nec alias ſatis bonus.

Tantum tamen meruit de Senatu, ut recepta ad Cæſares acclamatio fuerit; *Felicior*

Felicior Augusto, melior Trajano. v. *Eutrop.* l. 8. *Sarisb.* in Polic. l. 5. c. 8. *Coler.* Parerg. c. 1. Aſt *ſpeculum* illum *Mali Principis* fuiſſe, oſtendit eleganti orat. *B. Rupertus*, qui etiam impudentiſsimam Flori adulationem, in not. ad illum. p. 40. ſatis reprimit. Sanè *Plinii* Panegyricus, ſupra humanam conditionem eum collocat. Et quis non putet, nimias, quas in eum permulti congeſſere, laudes, anſam dediſſe fabulæ, cujus architectus *Damaſcenus*, Trajanum precibus S. Gregorii, quingentis annis poſt mortem, ex orco liberatum. Cum autem ipſi Baronio, ſtupendi annalium operis Conditori, & *Bellarmino* l. 2. de Purgat. c. 8. figmentum hoc diſpliceat operoſe id excutere, hujus loci non eſt. Egregie id præſtitit ſæpius cit. *D. Meisn.* diſp. de Perſecut. Chr. §. 14. *Chriſt. Matth.* Theatr. p. 155.

III.

Unde id conſtat?

Quia tertiam adverſus eos

persecutionem, Anno Christi 107. excitavit.

v. *Plin.* l. 10. Ep. 97.

IV.

Quinam in illa martyrium subiere?

Inter alios (a) Ignatius Episcopus Antiochenus, & (b) Clemens Episcopus Romanus.

(a) Septem, quas ad diversos scripsit, Epistolarum, meminit *Hieronymus* & *Eusebius* l. 3. H. E. Prodiere vero Epistolæ Ignatii Genevæ, cum notis Vedelii, Anno 1623.

(b) Mentio ejus fit, in Epistola ad *Philipp.* c. 4. v. 3. Egregiam autem, quam ad Corinthios scripsit Epistolam, mirâ hactenus divinâ providentiâ servatam, in lucem, Oxonii in Anglia, anno hujus Seculi 33. produxit, Regis magnæ Brittaniæ Bibliothecarius, *Patricius Junius*, qua de quid sentiendum v. *Rivet.* Crit. Sac. l. 1. c. 8. p. 142. *Hornejus* Hist. Eccl. l. 2. c. 1. §. 12.

V. *Qui*

V.

Quinam Viri clari vixerunt ſub eo?

Plutarchus ejus Præceptor, Plinius Epiſtolarum & Panegyricorum author, Suetonius, Hadriano ab Epiſtolis, & (a) Tacitus.

(a) Hunc nonnulli ideo manibus excutere volunt, *quod plus detrimenti, quam emolumenti, animis Principum inſinuet.* Enimvero *ſi ideo abjiciendus, quod impares, ad reſiſtendum vitiis, animi, ejus lectione corrumpantur, maxima certe pars, optimorum etiam librorum nobis peribit.* Sane non habent, quod metuant ſibi à Tacito Principes Viri, *ſi eorum cor ſolide intus timore Dei, & virtutis amore munitum.* Interim egregiam, pro Tacito, Apologeticam, ſcripſit *Octavius Ferrarius*, quam Tacito Hiſtoriato *Moſchenii*, addidit *Nob. Jac. Le Bleu.* p. 329. Jungatur ante laud. *Dhegor VVhear.* Rel. ſect. 21. p. 143.

VI.

HADRIANUS.

Quis successit Trajano?

Hadrianus, testamento â Trajano adoptatus, ob insignem Græcæ linguæ peritiam, Græculus dictus.

VII.

Ab eo quid gestum?

Judæos, Duce Barco-chebah (a) rebellantes, delevit. Hierosolymam à se instauratam, (b) Æliam Capitolinam nominavit, suemque ê marmore factam, portæ, quâ Bethlehem itur, imposuit.

(a) Binos hujus nominis impostores, unum sub Vespasiano, alterum sub Hadriano fuisse, non plane â veritate alienum. Posterior autem, cum innumerabili Judæorum multitudine, in urbe Bither,

Bither, quæ regia illi ſedes erat, occiſus eſt. v. *Buxtorf.* Synag. Jud. c. 36. *Hottinger.* H. E. part. 1. ſec. 2. ſ. 3. *Jacobus Mart.* de tribus Eloh. l. 3. c. 36. p. 182. *Grot.* de Verit. Rel. Chr. c. 29. *Boxhorn.* Hiſt. Un. p. 152. *Hornejus* l. 2. c. 2. *Hornius* Hiſt. E. art. 2. p. 57.

(b) v. **Rauwolff** l. 3. c. 2. & 5. Richt. Axiom. Hiſt. 217. p. 293.

VIII.

Fuitne Eccleſiæ hoſtis?

Perſecutio quidem IV. ſub eo exorta, Anno Chriſti 126. nullo tamen peculari ejus edicto.

IX.

A quibus eſt mitigata?

A Quadrato Apoſtolorum diſcipulo, & Ariſtide Philoſopho.

Præter inveteratum gentilium, in Chriſtianos, odium, cauſæ quoque, hu-

jus persecutionis, erant hæretici illius temporis, Christianos se mentientes. *Euseb.* l. 4. Hist. c. 7. Unum adhuc est, quod tempora hujus Imperat: illustravit, nempe Codicis Biblici, in Græcam linguam translatio, ab *Aquila Sinopensi Pontico*, adornata, qua de v. *Hornej.* H. E. l. 2. c. 3. §. 7. Tr. de Scrip. Sacr, p. 650.

X.

ANTONINUS Pius.

Fuitne laude dignus successor Hadriani, Antoninus Pius?

Omnino; non enim tantum eloquens, eruditus & sobrius fuit, sed & imperium sine sanguine gessit.

XI.

Quo animo in Christianos fuit?

Etsi persecutione quarta, non-

nonnihil adhuc Christiana religio, eo imperante concussa, lectâ tamen Justini Martyris Apologiâ, æquior illi esse cœpit.

XII.

Quis fuit Justinus Martyr?

Pater, quos vocant, Ecclesiæ.

XIII.

Patres Ecclesiæ quomodo dividuntur?

In duas classes, quarum una est Græcorum, Latinorum altera.

XIV.

Græcorum quis primus?

Justinus Martyr, (a) omnium scriptorum Ecclesiasticorum qui nunc extant, post Cle-

mentem & Ignatium, antiquissimus.

(a) Antequam Christianus fieret, sectator disciplinæ Platonicæ fuit, idque ipse de se fatetur, in altera, quam ad Senatum scripsit Romanum, Apologia, v. *Forbes*, l. 2. Instr. Hist. Th. c. 3. n. 14.

XV.

Quis primus Latinorum?

Tertullianus, sub finem seculi secundi, & initium tertii florens.

XVI.

ANTONINUS PHILOSOPHUS. L. ÆLIUS VERUS.

Qua ratione imperium obtinuit?

Adoptatus est ab Antonino Pio, novoque exemplo, *Verum*, sibi collegam esse voluit.

XVII.

XVII.

Quæ gesta sunt ab eo?

Marcomannos,(id est Moravos) ope Legionis Christianæ (a) fulminatricis superavit; victoriâque hac partâ, decreta contra Christianos, abrogavit.

(a) Legionem Christianam, contra Marcomannos pugnantem, sub hoc Imperatore, primùm κεραυνόβολον dictam, falsum esse ostendit *Rupertus*, ad Florum p. 343. & Besold. p. 330. Totam verò historiam, columnæ ab Antonino erectæ, Romæ inscriptam, recenset *Pflaumern*, Merc. Ital. p. 335. *Lipstorp*. Form. Mon. Pap. c. 4. n. 21. 22. p. 30.

XVIII.

Num & aliquis Patrum sub eo vixit?

Utique, in quibus etiam Polycarpus, Smyrnensis Ec-

clesiæ, qui Anno Christi 170. martyrii coronam accepit, & Irenæus, Ecclesiæ Lugdunensis Episcopus, Polycarpi auditor.

Scripsit ad Philipp. Epistolam, quam cum martyrio illius, edidit *Joh. Mader*, cui addendus *Hornejus* Hist. Eccl. l. 2. c. 5. *Kortholt.* Tr. de Persec. s. 5. §. 4. p. 145.

XIX.

COMMODUS.

Quis fuit?

Degener plane filius, & successor boni parentis, Reip. incommodus, crudelis, libidinosus.

XX.

Anne etiam in Ecclesiam sæviit?

Non, sed status ejus fuit tran-

tranquillus, cujus causa Martia Concubina, Christiana.

XXI.

HELVIUS PERTINAX.

Quis Commodi est successor?

Helvius Pertinax, trimestris quidem, sed bonus Imperator, (a) *Pila fortunæ* dictus.

(a) Plura in hanc rem exempla, collegit *Clasen* ad Cebet. p. 63.

XXII.


DID. JULIANUS.

Fuit ne hic successor Pertinacis?

Interfecto Pertinace emit imperium, sed illud rursus Sexto mense amisit.

Cum antea temporibus Aurelii Philosophi, & Aniceti Episcopi Romani, controversia de Paschatis celebratione, exorta

exorta fuisset, eadem res sub finem seculi hujus, gravius inter se Asiaticos, cum Judæis sentientes, & Victorem, Romanæ Ecclesiæ id temporis Episcopum, collisit. Sed hic, illis communionem, quod cedere nollent, denegans, sensit decreta sua imperiumque, quod in alias Ecclesias sibi sumsit, frustra fuisse. v. *Euseb.* l. 5. Hist. c. 22. & seqq. aliique Viri summi, qui hanc rem accuratius exposuere, in quibus, *D. Calixtus.* dis. de Primat. Rom. Pontif. §. 36. *D. Dreier.* Controv. advers. Pont. disp. 7. p. 160. *Dn. Beer.* gründliche Widerlegung contra Erberm. c. 7. p. 333.



SECUL. III.

I.

Quæ est series Imperat. Secul. III.

1. Septimius Severus. 2. Caracalla. 3. Macrinus. 4. Heliogabalus. 5. Alexander Severus.

Severus. 6. Maximinus Thrax. 7. Cl. Pupienus Maximus. 8. Balbinus. 9. Gordiani. 10. Philippus Arabs. 11. Q. Trajanus Decius. 12. Valerianus & Gallienus. 13. Claudius. 14. Aurelianus. 15. Tacitus. 16. Probus. 17. Carus. 18. Diocletianus. 19. Maximianus.

Jam regnum clarus tractat virtute *Severus.*
Te *Caracalla,* necat *Macrinus,* ſanguine natus
obſcuro, & luxu torpens. Regalia ſumit
ſceptra *Varus* fœdus, ſibi qui nil turpe putavit.
Sed nunc juſtitiæ vindex, jurisque *Severus*
regnat *Alexander.* Poſt *Thrax* furit improbus. Adſunt
collegæ imperii *Balbinus,* cum *Pupieno.*

His

His quoque ſublatis, ſummi faſtigia regni
Gordiani ſumunt; Arabum & de gente *Philippus*,
Decius, infenſus Chriſto. Deìn *Valerianus*,
Gallienusque ſocors. Sed *Claudius* optimus, annis
exactis binis, terreſtria morte relinquit.
Hinc hoſtes varii, ſuperat quos *Aurelianus*.
Menſes poſt ſenos, *Tacitus* cenſente ſenatu,
fit Cæſar. *Probus Aurelius*, probus omnibus audit,
& *Carus*, carus. Chriſtoque *Diocletianus*,
Maximianus erant hoſtes. Hic triſtia ceſsant.

II.

SEPTIMIUS SEVERUS.

Unde hoc nomen adeptus?

Ex eo, quod diſciplinæ militaris,

litaris, Severus obſervator fuerit.

III.

Qualis in Chriſtianos fuit?

Primo æquus iis fuit, ſed poſt Plautiani inſtinctu, perſecutionem quintam A. C. 202. adverſus eos excitavit.

IV.

Quis in Eccleſia ſub ejus imperio floruit?

Tertullianus Afer, (a) primus patrum Latinorum, Clemens Alexandrinus, & Minutius Felix.

(a) v. D. *Kromayr.* Hiſt. Eccleſ. Cent. 2. p. 95. *Hiſt. Eccl.* Goth. l. 2. c. 3. ſ. 3. p. 272.

V.

CARACALLA.

Qualis fuit?

Plane ſceleratus.

VI.

VI.

Unde id constat?

Matrem in matrimonium duxit, fratrem Getam, & Papinianum (a) JCTum, cædem hanc improbantem, interfecit.

(a) Habuit hic, una cum Severo, Præceptorem Scævolam, sectæ Sabinianæ (cujus author Masurius Sabinus,) addictum, unde cum eruditionis laude, apud alios, ævi sui JCTos, invidiam sibi conciliaret, sæpius illum, (more hujus Seculi) præprimis Ulpianus, ac Paulus perstrinxerunt. Laudes vero ejus cumulavit *Cujacius* in præfat. ad Juris pr. Pap.

VII.

Quid sub eo contigit dignum observatu?

Versio Græca V. T. sine ullo Autoris nomine, reperta est Hierichunti, in dolio. Anno Christi 219.

v. *Euseb.* Hist. Eccl. l. 6. c. 16.

VIII.

VIII.

Quis suscepit imperium post Carallam?

Opilius Macrinus, terræ filius, natione Maurus, cujus instinctu Caracalla occisus.

IX.

Diune imperio præfuit?

Cum annum unum, mensesque fere duos, imperium tractasset, ob crudelitatem militibus exosus, ab iis è medio sublatus est.

X.

HELIOGABALUS.

Cui vero delatum est à militibus imperium?

Heliogabalo, homini omnium impurissimo, Romani imperii deformatori, qui rur-

rursus anno imperii tertio, cum flagitiosissima matre Somide, in cloaca trucidatus, ejusque cadaver, alligato saxo, in Tiberim projectum.

Consulendus de eo *Paulus Diac.* Hist. miscell. l. 10. c. 24. *Rhodig.* l. 28. c. 8. p. 1555. Cur vero Heliogabalus dictus sit, vide sis præter *Rupertum*, ad Bes. p. 349. *Kipping.* ad *Pappum*. p. 118.

XI.

ALEXANDER SEVERUS.

Qualis fuit?

Laudatissimus sane, quippe qui æquitate imperii, omnium ad se animos, convertit.

XII.

Quo animo in Ecclesiam fuit?

Optimo. Christum enim in larario suo coluit, suisque præ-

præfectis, frequenter illud Servatoris inculcavit; *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Non tamen ipse Christianus fuit.

XIII.

Qui Docti viri sub eo floruerunt?

Floruêre (a) Ulpianus JCTus, & Dio Cassius Nicænus, Historicus egregius. Inter Patres vero fuit (b) Origenes, Adamantius etiam dictus.

(a) Non tantum sub Severo, sed & sub Heliagabalo *Domitius Ulpianus*, ex Tyriorum colonia splendidissima, in Syria Phœnice, oriundus, vixit. Cum verò ob virtutis studium, quibus nullus, vitiis grassantibus, locus, odium Heliogabali incurreret, officio adsessoris Prætoris, quo Romæ fungebatur, motus est. Sed habenis Reip, ad Alexandrum, delatis, adeo

tis, adeo in deliciis illi fuit, ut *Parentis* nomine, Imperator eum ornaret. Tandem Prætorio præfectus factus est. Ast laudibus illius maculam asspergit, quod Christiani nominis hostis fuerit. v. *Lact.* l. 5. de Just. c. 11. Quod si quis plura de eo scire desiderabit, evolvat *Pancir.* de Cl. LL. Interpr. l. 1. c. 57.

(b) Tanta ejus in studiis diligentia fuit, ut 18. ætatis anno Alexandriæ Grammaticam (quâ quid intelligendum. v. *D. Meisn.* disp. de Orig. §. 5. & *VVouvver.* Polymath. c. 4. n. 4.) docuerit. Sex millenos libros eum scripsisse fama est; inter quos eximios labores, Bibliorum opus eminet, quod primò quatuor versiones Græcas, 72. *Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis* complectebatur; unde *Tetrapla*: quibus cùm accederet textus Hebræus, Hebræis, & Græcis litteris expressus, *Hexapla*; tandem adstructis duabus versionibus Græcis, Authoris incogniti, *Octapla*, dictum fuit.

XIV.

MAXIMINUS.

Quomodo pervenit ad imperium?

Joco fortunæ; primùm enim opilio, dein miles, tandem Imperator.

XV.

Nullane persecutio sub eo cœpit?

Cœpit sub eo persecutio Sexta, Anno Christi 236. quâ maxime in Ecclesiæ antistites sæviit.

XVI.

Quæ causa persecutionis?

Præter communes, & quædam domestica erat, odium scilicet in familiam Alexandri antecessoris.

v. *Euseb*. l. 6. c. 21. 28. Præterit han
persecutionem Sulpitius Severus, par
tim ob brevitatem imperii Maximini
partim etiam, quod saltim quibusdam i
locis, in Clericos tantum sævitum est.

XVII.

Diune retinuit imperium?

Vix ultra biennium: sævi
tiæ enim illius omnes pertæs
tandem eum in castris inter
fecerunt.

Duas causas, quæ exosum reddidêr
Maximinum, adfert *Machiavellus* d
Princ. c. 19. p. 83. ubi plurimis exempl
egregie, principi, tum contemtum sui
tum odium esse fugiendum, monstrat.

GORDIANUS.
PUPIENUS.
BALBINUS.
GORDRIANUS. III

XVII.

XVIII.

PHILIPPUS ARABS.

Cujus originis fuit?

Natus eſt patre Latronum ductore, ac necato per ſummum ſcelus, in finibus Perſidis, Gordiano, imperium arripuit. Rurſus tamen trucidatus â militibus, anno imperii 7. medio capite, ſupra ordines dentium, abſciſſo.

Primum hunc Chriſtianum fuiſse Imperatorem, *Euſebius*, fictis Origenis Epiſtolis perſuaſus l. 6. c. 27. *Vincent. Lerin.* c. 23. aliique adfirmant. At nondum, tanta adſunt rationum momenta quibus id evinci poſset. Sane, *Scaliger* ad Euſeb. Chron. n. 1260. *Calixtus* Appar. Theol. p. 198. *Rupertus* ad Beſoldum. p. 365. *Boſius*. Exercit. de Pontif. Max. Imperat. Rom. c. 3. §. 7. p. 30. *Kortholt.* Tr. de Perſecut, p. 278. quid veri, adverſæ

opinioni insit, ad amussim ostendêre. Fons autem erroris, est paritas nominum. Cum enim bini essent ejusdem nominis, nempè, *Marcus Julius Philippus Arabs*, & *Philippus, Præfectus Augustalis in Ægypto*, Pater S. Eugeniæ, nominum confusione, quæ huic conveniebant, illi attributa fuisse, verisimilis conjectura est. Perplacet judicium Joh. Læti, Comp. Hist. c. 17. p. 69. *Philippum Imperatorem Christianum fuisse, non nulli ex fictis Origenis Epistolis, ad eum probant. Verum Pomponius Lætus eum Punica fide credidisse scribit; sane mores ejus non correspondent religioni Christianæ, & præcipue illius evi.*

XIX.

DECIUS.

Quis eum ad imperium evexit?

Legiones militares; â quibus receptus, Gothos Danubium transgressos, aggressus est.

XX.

XX.

Qualis fuit?

Christianis infensus, adversus quos persecutionem VII. prioribus atrociorem, Anno Christi 252. excitavit, quæ sub Gallo, ac Volusiano continuata.

XXI.

Quinam Ecclesiæ Patres sub eo floruerunt?

Floruit sub Decio Cyprianus, (a) Carthaginiensis Episcopus, Latinus; & Gregorius NeoCæsariensis â miraculorum magnitudine, Thaumaturgus (b) dictus, Græcus Ecclesiæ Pater.

(a) Persecutioni huic, Carthaginem fugiens, Cyprianus se subduxit. Idem fecit & Gregorius, qui suis secessionem,

impendente hac tempestate, plurimis argumentis prudenter persuasit. Hujus verò persecutionis acerbitas, vitæ Eremitarum, quam his temporibus princeps ingressus est Paulus Thebæus, XV. annorum juvenis, ansam præbuit. v. *Christoph. Angelus* de Stat. Eccl. Græcæ, Latinit. donatus â *Georgio Fehlavio* c. 40. Quod enim Pontificii Eliam, & Johannem Baptistam, vitæ hujus antesignanos faciunt, id solido destituitur fundamento. v. *Fehlavius*. l. c. p. 176. Thebæi exemplum sequutus est, Antonius, de quo ita *Sozomenus* l. 1. c. 13. *Antonius, magnus ille Monachus, perfectis pietatis institutis, & exercitationibus ad eam rem accommodatis, hoc vitæ genus ad summum perduxit.* Laurentium etiam in hac persecutione sub Decio, martyrio coronatum, *Magdeburgensibus Centur.* & *Dressero* Isag. Hist. part. 1. p. 88. videtur; ab iis tamen abeunt *Baronius, Sethus Calvisius*, & *Hornejus*.

(b) Opinione miraculorum, quæ patrasse dicitur, id nominis adeptus est, quod tamen in dubium vocant *Cent.* sec. 3. c. 13.

XXII.

VALERIANUS. GALLIENUS.

Fuit ne bonus Imperator?

Optimus equidem ſed non in Chriſtianos.

XXIII.

Quæ cauſa?

Perſecutionem adverſus eos octavam Anno Chriſti 258. excitavit, ac ab Ægyptiaco quodam Mago, eò perductus eſt, ut (a) victimas humanas immolaret.

(a) Idem & Hadrianum & Heliogabalum feciſse, ſatis ſuperque docet *Spartianus*, in Hadri: p. 28. *Euſebius*. H.E. l. 4. c. 9. *Camerar*. Cent. 1. c. 59. *Lamprid.* in Heliog. Enimverò licet primordia imperii Valeriani, tranquillitatem adferebant Eccleſiæ, ab hoſtibus exter-

 nis,

nis, gravis tamen controversia eam nihilominus exercuit, dum inter se Cyprianus & Stephanus P. R. de Baptismo Hæreticorum, disceptabant; quorum hic, adversus illum, & Africæ Episcopos negebat, ab Hæreticis baptizatos, esse rebaptizandos. Copiose rem omnem deduxit, *Calixtus*, in de Visibili Ecclesiastica Mon. §. 51. *Hornejus* Hist. Eccl. l. 3. c. 6. & Compend. Theol. l. 2. c. 2. §. 47. p. 347. *D. Zigler*. Dissert. de Bapt. non iteran. ad l. 1. Antist. 1. Cod. ne S. Bapt. it. §. 42. seqq. *Forbes*. l. 16. c. 1. n. 6.

XXIV.

Quinam persecutione hac absumti?

Inter innumeros, qui in Syria, Cilicia, Gallia, Hispania, Numidiaque interfecti sunt, est etiam Cyprianus, (a) & Laurentius. (b) Dionysius quoq; Alexandrinus, (c) acerbissima multa, hoc persecutionis

tionis furore durante, perpeſsus eſt.

(a) De martyrio ejus, v. *Kortholt.* Tr. de Perſ. ſ. 9. §. 10. p. 374.

(b) Id. Ib. §. 13. p. 380.

(c) Ejus, de perſecutionis hujus acerbitate, Epiſtolam exhibet *Euſebius.* l. 7. c. 9.

FL. CLAUDIUS.

XXV.

AURELIANUS.

Quomodo imperium eſt adeptus?

Commendatione Fl. Claudii anteceſsoris.

Severiſsimus diſciplinæ militaris cuſtos fuit, idque ex hac, ad ſuum Vicarium, apud Fl. Vopiscum c. 7. Epiſtola conſtat. *Si vis Tribunus eſse, imo ſi vis vivere, manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat, ovem nemo contingat, vinum nullus auferat, ſegetem nemo detrahat, oleum, ſal, lignum nemo exigat, anno-*

na sua contentus sit, de præda hostium, non de lacrymis provincialium, habeat. Hæ leges si hodie valerent, quam bene cum re militari ageretur. Sed remissior est disciplina cujus quæ sint causæ. v. apud D. *Zigler*, in doctissimis ad Grot. notis p. 3.

XXVI.

Num quid præclari gessit?

Suscepit adversus Zenobiam, Orientis Reginam, expeditionem, quam generosam fœminam superavit, ac in (a) triumphum duxit.

(a) v. de hoc triumpho Vopiscus, in Aureliano c. 33. 34.

XXVII.

Anne & hostis Christianorum fuit?

Sæviit persecutione IX. Anno Christi 273. in Christianos. Sed cum novis edictis sub-

ſubſcribens, eam promovere vellet, ultricem divinam ſenſit juſtitiam.

XXVIII.

Quid ſub eo contigit?

Prodiit (a) Manes Perſa, Manichæorum Parens, & Paulus (b) Samoſatenus.

(a) Dictus erat antea *Cubricus*; quod nomen, cum *Manes* diceretur, dein oblivioni datum. Quanquam & *Manichæi* nomine uſus fuit, ut ex Epiſtola illius ad Marcellum conſtat. *Fuit autem homo conditionis ſervilis, cui divitiæ, quas anus quædam, cui à ſervitiis hactenus fuerat, morte ſuâ ei reliquit, criſtas erexêre.* Hinc itaque *ſpiritus ſumere cœpit, ac ſe* Chriſtum, Sp. S. ut & Apoſtolum, *mentiebatur. Et ne, qui virus illius paſſim diffunderent, deeſſent, XII. Apoſtolos aſſumſit, & circumduxit. Neque hoc ſolum, ſed & libros quoque à ſe ſcriptos in publicum emiſit. Tandem verò dignum vitâ exitum nactus; ſiquidem detractâ*

cute, nudus canibus est objectus, ob temeri-tatem, quod regis Persarum Schabur, (si-Saporis filium, se curaturum promisisset, q tamen præstare non poterat. Cœterum dogmata ejus, exhibet *Pappus* Epi: H. E. p. 260. *Hornejus* Hist. Eccl. l. 3 c. 9. *Hornius*, art. 2. §. 23. p. 76. *Michaë Laurent*. Spicil. Hæres. p. 100. omnem que Manichæismi Historiam uberius recenset disput. pecul. *Strauch*. quæ Anno Christi 1656. Wittebergæ prodiit.

(b) Fuit is Antiochiæ Episcopus, damnatus Anno Christi 272. in Concilio Antiocheno, sedeque Episcopali ejectus. Contra eum Epistola Synodica, ab Antiochenis Patribus conscripta, extat apud *Euseb*. l. 7. Hist. Eccl. c. 29.

TACITUS.

XXIX

PROBUS.

Sub hoc quid factum?

Franci, Galliam invaden-tes, depulsi, ac Alemanni in-tra

tra Nicrum cedere coacti ſunt.

CARUS.

XXX.

DIOCLETIANUS. ET MAXIMIANUS.

Bene ne hi duo adminiſtravêre imperium?

Magna utique cum laude concordes imperio præfuere, illudque tandem depoſuere; ſed perſecutio X., quam anno imperii 19. A. C. 304. Diocletianus novis edictis, excitavit, omnibus illum exoſum reddidit.

XXXI.

Num vero ultima hæc fuit persecutio?

Fuit utique ultima, ſed omnium graviſsima, ſiquidem tantùm in Ægypto, 144000. occiſa ſunt hominum, & 700000. in exilium ejecta.

XXXII.

Quamdiu duravit?

Per decem continuos annos, ejusque initium factum ipſo Paſchatis die.


Sulpitius Severus, dum hanc perſecutionem deſcribit, his plane elegantibus verbis, de glorioſis Chriſtianæ fidei Athlethis, loquitur. *Hac*, inquit, *tempeſtate omnis fere, ſacro martyrum cruore, orbis infectus eſt: quippe certatim glorioſa in certamina ruebatur, multoque avidius tum martyria glorioſis mortibus quærebantur, quam nunc Epiſcopatus pravis ambitionibus,*

tionibus quaruntur. Nullis unquam bellis magis mundus exhaustus est: neque majore unquam triumpho vicimus, quam cum decem annorum stragibus, vinci non potuimus. Hactenus *Severus* l. 2. p. 888. Cui addendus *Eusebius*, l. 8. c. 3. & seqq. *Lactantius* l. 5 Inst. c. 11.

XXXIII.

Numne & aliqui doctorum Virorum his temporibus floruere?

Floruit Ælius Spartianus, Vulcatius Gallicanus, Julius Capitolinus, Arnobius Rhetor, ex Gentili factus Christianus, & discipulus ejus Lactantius.



SECUL. IV.

I.

Quos Seculum quartum habuit Imperatores?

1, Constantius Chlorus, & Gale-

Galerius. 2. Maximus. 3. Fl. Severus. 4. Maxentius. 5. Licinius. 6. Conſtantinus M. 7. Conſtantinus II. Conſtans & Conſtantius. 8. Julianus. 9. Jovianus. 10. Valentinianus I. & Valens. 11. Gratianus & Valentinianus II. 12. Theodoſius.

Diſsimiles regnant & *Chlorus*, *Galeriusque*,
hic malus, ille bonus. Ceſsit diadema *Severo*.
Irriſor ſævit Chriſti *Maxentius* hoſtis.
Plenum ſævitiâ *Licini*, cognomine Magnus
te *Conſtantinus* fregit; poſt funera cujus
& *Conſtantinus*, *Conſtans*, *Conſtantius* orbem,
diviſo imperio, moderantur. Poſt *Julianus*
deſertor fidei ſuccedit; ſed *Jovianum*
commendat pietas. Faſceſque *Valentinianus* ſuſci-

suscipit, ascito regni consorte *Valente*.
Cæsareos inter proceres *Gratjanus* habetur,
Tuque *Valentiniane alter*, *Theôdosie Magne*.

II.

CHLORUS ET GALERIUS.

Quales fuere?

Chlorus erat amicus Christianorum, at Galerius eorum hostis.

Licet prædecessorum suorum, summo furore in Christianos sævientium, vestigiis institerit; nihilo tamen minus, morbo medicinam non admittente correptus, libentissime concessit, *ut homines denuo se libere Christianos profiteantur; ut ædes, in quibus convenire solent, resarciant; sic tamen, ut nihil contra Romanorum disciplinam moliantur*. *Euseb.* l. 8. Hist. Eccl. c. 17.

MAXI-

MAXIMINUS. FL. SEVERUS. MAXENTIUS. LICINIANUS.

III.

CONSTANTINUS M.

Fuitne Christianus?

Primo Ethnicæ religioni addictus; post, cum in signo, (a) fulgidæ in cœlo crucis, vicisset Maxentium, (b) factus est Christianus.

(a) Rem ex *Eusebio* recensere, operæ pretium. Ita autem ille l. 1. de vita Const. c. 22. & seq. *Cum jam Sol ad medium cœlum ascendisset, die in pomeridianum tempus paululum inclinante dixit*, (Constantinus) *se crucis signum, ex lucis splendore figuratum, in ipso cœlo soli imminens, manifesto oculis adspexisse, inque eo inscriptionem*

uem consignatam, hæc verba complectebatur: ἐν τούτῳ νίκα, *IN HOC VINCE. Admiratio ingens ipsum, & totum exercitum, qui eum, quopiam iter facientem comitabatur, atque adeo hujus prodigii spectator factus erat, incessit. Sed dubitatione admodum intra se distrahi, quidnam ostentum illud sibi vellet, asseruit. Atque eum diu, multumque de eo cogitantem, obpressit nox. Ibi ei dormienti, Christum Dei, cum signo in cœlo monstrato visum esse, præcepisseque, ut exemplari, ad imitationem illius signi, quod in cœlo adparuerat, fabricato, eo tanquam præsidio in prœliis, cum hostibus committendis uteretur.* Et hæc Eusebius ex ipso Constantino se audivisse, juramento adfirmavit.. Sed de visione signi crucis, quomodo ea comparata fuerit, ac Labari (qua voce quid denotetur. v. *Vossius* l. 3. de vitiis serm. c. 18. p. 486.) formâ, qua Constantinus deinceps loco vexilli militaris usus est, præter Eusebium, videatur, *D. Dorscheus.* dissert. de J. C. Majest. c. 4. §. 16. *Lipsius* de Cruce l. 3. c. 15. & 16. *Pignorius* Epist. Symbol. 24. p. 88.

(b) Ma-

(b) Maxentius per tumultum à militibus Augustus adpellatus, Anno Imperii II. Severum de medio sustulit. Sed dein, à Constantino Magno, ad pontem Milvium superatus, ac in Tiberim prolapsus, *ne tam deforme prodigium hanc obitus sui relinqueret famam, quod alicujus viri fortis gladio teloque cecidisset*, ut loquitur Vulcatius Gallicanus. v. *Paul. Diac.* l. 11. c. 9. *Victor.* de Viris Ill. c. 40. §. 2. *Euseb.* l. 9. c. 9.

IV.

Quid ergò in Ecclesia præstitit?

Non tantum Basilicis, ad sacra peragenda, condendis, Imperii thesauros impendit, (a) sed etiam, ut omnes sub ejus Imperio, repudiatis Idolis, Christianam religionem amplecterentur, voluit. Insuper (b) certam precationis formam, qua exercitus omnis uteretur, & sanctiones, (c) deferiando

feriando die Dominico, præscripsit.

(a) Ita Sozomenus. l. 1. H. E. c. 8. *Quod autem ad sacra templa attinet, quæ satis haberent laxitatis, reficiebantur: alia altius erigebantur, latioraque non sine splendoris accessione fiebant. Nova etiam, ubi nulla ante fuissent, ab ipsis fundamentis exstruebantur. Pecuniam autem ad hanc rem ex ærario regio subpeditavit Imperator.* His autem temporibus templorum apud Christianos cœpit usus. Æstuantibus enim hactenus persecutionum procellis, in *speluncis*, *antris*, *cœmiteriis*, *cryptis*, *sacellis subterraneis*, sacra sua peregisse, nec iis templa fuisse, satis solide probat *Vedelius*, Exercit. 4. ad Ep. Ign. Quid? quod ipsa cœmiteria templis originem dedisse, non vanâ conjecturâ colligit *Kirchmannus*, antiquitatis peritissimus, l. 2. c. 27. p. 309. *Non possum hic*, inquit, *de Christianorum cœmiteriis silere, quæ nescio, an non & ipsa plurimis templis originem dederint. Nam præterquam, quod in iis corpora suorum sepeliebant,*

bant, certe persequutionum tempore ibi omnes sacras ceremonias, quæ quidem in templis solent, celebratas. possem hic pluribus monstrare nisi ab Onuphrio in appendice, res hæc pridem esset explicata: adde *Cassiod.* l. 5. c. 3.

(b) Habet eam *Eusebius.* l. 4. c. 20. de V. C.

(c) *Sozom.* l. 1. H. E. c. 8. *Euseb.* l. 4. c. 18. addatur his *Ernstius.* Tr. de Sab. c. 1. §. 12. p. 21. qui plurimas, aliorum, de Sabbatho feriando constitutiones, adfert.

V.

Quo ergo in Statu Ecclesia his temporibus fuit?

Reddidit ei Deus, post tot acerba, tranquillitatem, quam tamen detestandâ Arii hæresi, quæ ipsum caput Christianæ religionis aggressa, rursus turbavit Diabolus.

VI. *Quis*

VI.

Quis erat Arius?

Presbyter Alexandrinus ex Lybia oriundus.

v. *Hornius* Hiſt. Eccl. art. 3. §. 3. p. 82. Pappus Epit. p. 275.

VII.

Repreſsit ne eum Conſtantinus M.?

Maximè ; indixit enim Concilium Oecumenicum Nicææ.

VIII.

Quot ſunt Concilia Oecumenica?

Oecumenica propriè talia, (a) numerantur quatuor: 1. Nicænum. 2. Conſtantinopolitanum. 3. Epheſinum. 4. Chalcedonenſe.

(a) Dicuntur Oecumenica, quod *plerique omnes* Chriſtiani orbis Epiſcopi, â ſumma poteſtate convocati, convenerint.

rint. Inter hæc maximè omnium eminet Nicænum, quippe quo exercitum quendam Dei & martyrum, miraculis clarorum, adversus Arium obprimendum, Constantinus instruxit. v. *Theodoret*. l. 1. H. E. c. 6. *Conring*. de Concil. §. 2. & 9. *Calixtus*; de Auth. Antiquit. Eccl. §. 44. Non verò tantum Concilium hoc Constantinus M. Pontifice inconsulto, indixit, sed & eidem præsedit, & quæ constituta fuerant, edicto confirmavit, quod luculenter satis adversus Bellarminum ostendit. *D. Sagittar*. discurs. de Const. M. §. 29. & seqq.

IX.

Sunt ne alia præter hæc?

Imò adduntur adhuc tria, nempe Constantinopolitanum II. & III. ac II. Nicænum.

v. de his Conciliis *Nicolaus Rittersh.* l. 2. Lect. Sacr. c. 11. ubi de loco, tempore, & contra quos instituta sint, accuratius egit.

X. *Con-*

X.

Concilium Nicænum, quo anno est coactum?

Anno Christi 325. 20. Maj.

XI.

Cur dicitur Nicænum?

A loco Nicæa, urbe Bithyniæ.

XII.

Quot Patres interfuerunt?

Trecenti & octodecim vulgo numerantur.

In his *Macarius* Hierosolymorum Antistes, *Eustathius*, Antiochiæ ad Oronthem sitæ, *Alexander*, Alexandriæ propter lacum Maream sitæ, Episcopi; & *Athanasius* id temporis Diaconus, Ecclesiæ Alexandrinæ. De Fraudibus verò Arianorum in hoc concilio, pluribus legi potest *Vedel*, Tr. de Prud. Vet. Eccl. l, 1. c, 2. p. 58.

XIII.

Fuitne Constantinus baptizatus?

Petiit baptismum An. 61. ultimo vitæ & imperij.

XIV.

A quo est baptizatus?

Ab Eusebio, Nicomediensi Episcopo.

Bini fuere Eusebii; alter Nicomediæ, alter Cæsariensis Episcopus, Historiæ, vitæ Const: M. & Demonstr. Evang. scriptor πολυμαθέστατος, qui circa tempora Gallieni extrema, Anno Chr. 265. natus esse videtur. De eo varie inter summos Viros disputatur; *num post Synodum Nicænam, fidei, quam illa profitebatur, constanter adhæserit?* Ante Synodum illum à partibus Arianorum stetisse, extra controversiæ aleam est. Utrum autem, post eam, cui tamen subscripsit, errorem deposuerit, non ita facile adfirmari potest, eo quod simulandi artifex fuerit, cumque *Socrates* l. 1. c. 18.

c. 18. δίγλωσσον vocet. Sed cum tantam litem componere, hujus loci non sit, poterit cupidus lector evolvere dissert. *D. Calixti*, de duabus Quæst. &c. §. 54. *D. Meisn.* Disp. de. Orig. &. Progr. Arian. §. 17. usque ad 29. *Bos.* Exercit. in Perioch: Fl. Jose: c. 2. §. 15.

XV.

Quid de donatione illius, Sylvestro Pontifici facta, sentiendum.

Eo loco habenda, (a) quo fabulæ Cretensiũ, fatentibus id Laurentio Valla (b) Pontifici à Consiliis secretis, & Ænea Sylvio, Episcopo Senensi, dein Cardinale, tandem Pontifice.

(a) Adprime convenit huic negotio, lepida responsio Hieronymi Donati, Reip. Venetæ apud Alexandrum VI. Legati: cum enim inter sermones joco interrogaret Pontifex, quibus nam titulis Veneti maris Adriatici imperium sibi tribuerent? prudenti, quam in numera-

to habebat, responsione hunc nodum Gordium, licet non Alexandri gladio, Alexandro solvit: *Ostendat*, dicebat, *mihi vestra sanctitas instrumentum Donationis Constantinianæ, apparebit versâ paginâ, Venetorum privilegium, atque jus in mare Hadriaticum innotescet.*

(b) Ejus declamationem, quam censores Tridentini inter scriptores prohibitos collocant, in ementitã hanc donationem, legendam exhibet syntagma, *Simonis Schardi JCti*, de. Jurisdict. Imperial p. 401. Ipsum verò Donationis hujus figmentum frontispicio disputat. de Donat. Const. M. A. C. 1661. editæ, addidit *D. Hildebr.* Et, licet Constantinus M. jus tradendi habuisset, bonâ tamen fide eam accipere Sylvester non potuit, dum scivit, rem alienam fuisse.

XVI.

Cui commisit Constantinus imperium?

Tribus filiis, Constantino II. Constanti, & Constantio.

XVII.

XVII.

CONSTANTINUS II.

Fuit ne Concordia inter fratres?

Non; nam Conſtantinus ſecundus, non contentus diviſione paternâ, ad fratrem Conſtantem in Italiam contendit; ſed à copiis illius captus ac occiſus eſt.

XVIII.

Quo animo in Eccleſiam fuit?

Bono; inprimis autem Athanaſio Alexandrino Epiſcopo favebat, quem ab exilio revocavit.

XIX.

A quo in exilium miſſus eſt Athanaſius?

A Conſtantino M. qui Euſebii Nicomedienſis Epiſcopi

calumniis, ad id permotus est.

Fuit alius etiam Athanasius, Anciræ Episcopus, cujus mentionem facit *Basilius* Ep. 53. Scripta autem Athanasii Alexandrini recensentur in H. E. Goth. L. 2. c. 3. s. 3. n. 18. p. 324. De omnibus, quæ extant, ita judicat *Gerhardus Mair*, Bibl. Theol. l. 1. c. 4. n. 4. p. 53. *Multa quidem, eaq; præclara ingenij & pietatis monumenta posteris reliquit, at tot nothis & suppositiis scriptis contaminata, ut è tribus eorundem tomis, vix duo priores genuini reputentur.*

XX.

CONSTANS.

Num verò diu collega Constantij fuit Constans?

Non; nam imperium negligens, ab alienavit militum animos, qui Magnentium imperatorem salutárunt, à quo Constans interfectus.

XXI.

XXI
CONSTANTIUS.

Quid fratre occiso fecit Constantius?

Solus rerum potitus, gravis fuit orthodoxis, fautor Arianorum, iisq; Synodum Nicænam novam, ut convocarent, permisit. Fertur etiam urbem (a) Constantiam condidisse.

(a) Ita sentit *Sethus Calvisius* ad An. C. 356. Chron. p. 522. Uberius legi potest de hac urbe *Ritter*. Cosm. Metr. l. 4. p. 408. *Hentz*. Itin. p. 26.

XXII.

Quis Patrum Ecclesiæ his temporibus vixit?

Præter Athanasium, clarus quoque fuit *Hilarius*, Pictaviensis Episcopus, Pater Latinus.

Ne quis in errorem, nominum paritate inducatur, ſciendum, alium adhuc eſſe Hilarium, illo poſteriorem, qui Auguſtini cauſam, adverſus Gallos Semipelagianos, defendendam ſuſcepit, ac dein ad Epiſcopatum Arelatenſem evectus eſt.

XXIII.

JULIANUS.

Fuit ne & hic Chriſtianus?

Primùm quidem, ſed poſt à Libanio Rhetore & Maximo Philoſopho ſeductus, Chriſtianâ religione deſertâ, Ethnicismum reduxit.

XXIV.

Quibus itaq; favebat?

Judæis, hisque templi reſtaurationem, odio Chriſtianorum, ſed (a) fruſtra indulſit.

(a) Im-

(a) Impedimento enim ijs erant flammarum globi, terræque motus impetuosi. v. *Ammianus Marcell.* l. 23. c. 1. qui in hoc & sequenti, copiosius de eo scripsit. Singularia hic tradit Rauwolff. l. 3. c. 5. p. 50. cui addendus *Rittersh.* l. 1. Lect. Sacr. c. 18. Callidissimus vero, si quis alius Christianæ religionis hostis, fuit Julianus. Cum enim animadverteret pennis suis se feriri, (quod Symbolum illius, teste *Reusn.* Cl. 2. Symb. Imperat. p. 29.) si literarum studiis juventus incumberet, artium, tyrannicarum peritus, scholas clausit. v. cit. *Rittersh.* l. c. c. 19. *Lehman* Chron. Spir. l. 2. c. 27. Aliud stratagema illius adducit ex Theodoreto *Vedelius*, de prudent. Vet. Eccl. l. 1. c. 1. p. 45. qui videatur. Scripsit autem Julianus, de Vitis Cæsarum libellum, quem Petrus Cunæus ex Græco transtulit; sed continet acerbam plane piorum Principum censuram.

XXV.

Gessit ne & bella?

Antequam imperium adeptus

ptus esset, à Constantio in Galliam adversus Alemannos missus, (a) clade insigni eos fudit. Imperator autẽ factus, Persas aggreditur, in quo bello (b) vulneratus obiit, ultimus stirpis Constantini M.

(a) De ea ita *Sex Aurel. Victor* in Epit. c. 43. *In campis Argentoratensibus apud Gallias, cum paucis militibus, infinitas hostium* (Alemannorum) *copias delevit. Stabant acervi montium similes; fluebat cruor fluminum modo: captus rex nobilis Chonodomarius, fusi omnes optimates.* Addatur *Lehmannus* Chron. Spir. l. 1. c. 27. (b) v. *Sozomenus* l. 6. c. 1. & *Socrates* l. 3. Hist. c. 18.

XXVI.

Numne Juliani temporibus aliqui Patrum fuere?

Vixit inter Græcos *Gregorius Nazianzenus*, & *Basilius M.* Cæsarien.

rienſis in Cappadocia Epiſcopus, Juliano familiares. Inter profanos, *Sextus Aur. Victor.*

v. *Socrat.* Hiſt. l. 4. c. 21. De ſcriptis illorum H. E. *Goth.* l. 2. c. 3. ſ. 3. §. 22. p. 338. Mortuus vero demum eſt Gregorius Nazianzenus, temporibus Theodoſii, circiter A. C. 389. & ante eum Baſilius A. C. 381.

XXVII.

JOVIANUS.

Melior ne fuit Jovianus Juliano?

Non tantum bonus fuit Princeps, ſed & Eccleſiæ, quam turbârat Julianus, tranquillitatem reddidit.

Videndus de eo pluribus *Socrates* Hiſt. l. 3. c. 19. & 20. *Theodoretus* l. 4. c. 1. & ſeqq.

XXVIII.

VALENTINIANUS & VALENS.

Quis iis imperium tradidit?

Salutatus ab exercitu Augustus Valentinianus, trigesimâ die, fratrem Valentem collegam adsumit, eique Oriente commisso, sibi Occidentem retinet.

XXIX.

Quo uterq; in Christianam fidem animo fuit?

Favebat Orthodoxis Valentinianus, sed Valens Arianis addictus erat.

XXX.

GRATIANUS ET VALENTINIANUS. II.

Qualis fuit Gratianus?

Fuit orthodoxæ fidei omnino amantiſſimus, quippe qui Epiſcopos â Valente in exilium pulſos, revocavit.

XXXI.

Fuit ne & Valentinianus II. Orthodoxus.

Non; nam orthodoxos ſedibus ſuis Mediolani ejicit, ac inſtinctu Juſtinæ matris, Ariana hæreſi infectæ, Ambroſiũ quoque, (à quo tamen biduo ante obitum baptizari voluit) obpugnavit.

XXXII.

Quis fuit Ambrosius?

Mediolanensis Episcopus, à Valentiniano I. illi Ecclesiæ datus.

Tanti hic erat Theodosio, ut eum *solum Episcopi nomine dignum* censuerit, teste *Sozom.* l. 1. H. E. c. 18. Qua vero ratione ad Episcopatum pervenerit, ipse indicat, l. 1. off. c. 1. *Ego* inquit, *raptus à tribunali, atq; administrationis infulis ad sacerdotium, docere vos cœpi, quod ipse non didici.* v. *Bucholtzerũ*, p. 210. *Lipstorp.* de Mon. Pap. Part. 1. c. 15. n. 16. p. 171. Doctor itaque Ecclesiæ factus erat, antequam Baptismo in Ecclesiam receptus esset, docente *Theodoreto.* l. 4. c. 6.

XXXIII.

Recense & alios Patres sub Gratiano & Valentiniano II. illustres?

Floruere *Epiphanius*, Constantiæ in Cypro, frater Basilii

lii M. *Gregorius*, *Nyssæ* in Græcia, Episcopi.(a) Profanorum vero scriptorum his temporibus princeps *Ammianus Marcellinus*; cui addendus *Ausonius* Poëta.

(a) Legendus hic *B. Gerhardus*, Patrol. p. 265. & seqq.

XXXIV.

THEODOSIUS MAGNUS.

Quid de hoc Imperatore sentiendum.

Fuit exemplar optimi Imperatoris, pietatis (a) justitiæ, disciplinæque militaris illustri laude conspicuus.

(a) Tantum tamen ejus tempore Ariani valebant, ut non ausus fuerit Imperator optimus, conventus publicos, quos in ipsa urbe Constantinopolitana instituebant, severis edictis coërcere. Nihi-

Nihilominus Amphilochius Iconii Episcopus, prudentiâ Ecclesiasticâ adprime instructus, commode Theodosii animum expugnans, eò eum adegit, ut conventus eorum tolleret, id quod uberius recenset *Theodoretus* l. 5. cap. 15. & *Vedelius* Prol. in, de Prud. V. E. c. 2. n. 2. p. 5. Cœterum non statim solus imperio præesse cœpit Theodosius, sed â Gratiano, qui bello Gothico urgebatur, in imperii consortium adsumptus, per XIV. annos illius collega fuit.

XXXV.

Quo vero animo in Ecclesiam fuit?

Non tantum Arianos civitate ejecit, sed & Concilium II. Constantinopolitanum indixit, A. C. 381. in quo, & (a) tres sedes Patriarchales nempe Romana, Alexandrina, & Antiochena, confirmatæ.

(a) v. *Socrat.* l. 5. c. 8. B. *Calixtus* Ap. par. p. 91. & 249.

XXXVI.

XXXVI.

Ob quam causam.

Ob Macedonii Episcopi Constantinopolitani hæresin, divinitatem Sp. S. impugnantis.

Non equidem primus fuit, sed jam ante eum *Simon Magus*, *Manes*, *Hierax Leopolitanus*, *Helcesaitæ Judaismum redolentes*, alijq; qui portentis opinionũ, Catholicæ de Spiritu S. doctrinæ detrahere conati sunt. Cum verò ab Arianis, â quorum partibus antea Macedonius stabat, sede Episcopali rursus pelleretur, odio eorum imbutus novum dogma commentus est, quo de pluribus consulendus *Socrates*, l. 2. c. 35. *Sozomenus* l. 7. c. 7. *Forbes.* l. 1. Instr. c. 2. n. 9.

XXXVII.

Quot interfuerunt Episcopi?

Centum & quinquaginta, in quibus principes erant *Gregori-*

gorius Nazianzenus & *Nyssenus*; *Cyrillus* Hierosolymitanus, *Amphilochius* Iconiensis, & *Damasus* Lusitanus, Episcopus Romanus.

XXXVIII.

Concilio finito, quid Theodosius egit?

Trium horarum spatio 7. millia hominum Thessaloniæ interfici jussit.

(a) v. *Paulus Diaconus*. l. 12. *Theod*. l. 5. c. 17. *Sozomenus*. l. 7. c. 24 *Ruffinus* l. 2. c. 18.

XXXIX.

Nemone in eum eapropter animadvertit?

Ambrosius, communione eum Ecclesiasticâ privavit.

XL.

Quamdiu exclusus fuit?

Per octo menses.

XLI.

Sed quando iterum receptus?

Festo natalis Christi, absolutione humilimis precibus impetratâ.

Operæ pretium ex *Albaspin.* Observ. 15. l. 2. nonnulla hic adferre. Ita a. ille *Quod de Theodosii Imperatoris excommunicatione & octo mensium pœnitentiâ proditum est memoriæ, ob imperatam indictamq; cædem civium Thessalonicensium, id me in eam sententiam adducit, ut putem, non leve de aliis supplicium esse sumtum, qui non erant Imperatores, qui cædem aliquam suapte sponte, non alieno inducti impulsu, tempore D. Ambrosii fecissent.* Sane non leve supplicium, de iis, *qui sponte aliquem interfecissent*, sumtum esse, indicio est, elegans disciplinæ Ecclesiasticæ severitatem continens Canon, apud *Basil*

Basil. M. Tom. 2. Can. 56. quem sacris suis Observ. addidit *Suitzer.* c. 1. p. 8. ex eo saltim excommunicationis tempus adferre, non abs re. ὁ ἑκουσίως φονεύσας, καὶ μετὰ τοῦτο μεταμεληθεὶς, εἴκοσιν ἔτη ἀκοινώνητος ἔσαι τοῦ ἁγιάσματος. *Qui sua sponte interfecit, & postea pœnitentiâ ductus est, viginti annis, à S. cœna abstinebit.* De œconomia vero annorum horum v. cit. can. l. c.

XLII.

Habuitne filios?

Ex Placilla uxore duos suscepit, Arcadium & Honorium.

XLIII.

Commisit ne iis imperium?

Utique Arcadio Orientem, Occidentem vero Honorio.

XLIV.

XLIV.

Quis Patrum, Doctorumq; Virorum sub eo floruit?

Fuêre Theodosii temporibus, (a) *Ruffinus* σύγχρονος Hieronymi, Presbyter Aquilejensis, (b) *Aurelius Prudentius*, Poëta Hispanus, *Philastrius* Brixiensis, *Evagrius* Antiochenus Episcopus, & *Sulpitius Severus*.

(a) Hic, illinc, ubi Eusebii Historia desinit, suam exorditur, ac usque ad obitum Theodosii pertexit. v. *Gerh.* Patrol. p.332. Extat illius etiam pro Origene Apologia, de qua videnda egregia *Dallæi* censura Tr. de Usu Patrum. l. 1. c. 3. p. 17.

(b) *Vossius*. l. 2. de Lat. Hist. cap. 10.

SECUL. V.

I.

Qui sunt Seculi quinti Imperatores?

Orientis Imperatores erant

I. Arcadius

I. Arcadius. 2. Theodosius II. 3. Martianus. 4. Leo. I. 5. Zeno Isauricus. 6. Basiliscus. 7. Anastasius Dicorus. Occidenti vero præerant, I. Honorius. 2. Valentinianus III. 3. Maximus, 4. Avitus. 5. Majoranus. 6. Severus. 7. Anthemius, 8. Olybrius. 9. Glycerius. 10. J. Nepos. 11. Augustulus.

Orbis divisus; retinente orientis habenas *Arcadio*, atque Pio *Theodosjo*, cuiq; dedit *Mars*
nomen; & occiduum moderatur *Honorius* orbem.
Constanti huic soboles scelerata, *Valentinianus*
Tertius, in regno successit. *Roma tyrannos*
suscipit, aspiciens tristi sua funera vultu.
Maximus invadit regnũ, succedit *Avitus*.
Hunc *Majoranus* sequitur. Tu sceptra *Severe*
accipis. *Anthemius* Cæsar, regnante *Leone*
partibus Eoi datus est, suffectus *Olybro*,
Glycerius, *Juliusq;* *Nepos*, quẽ pellit *Orestes*.

Interea

Interea *Zeno*,& *Basiliscus*, cuiq; biformis cognomẽ *Dicori* dederat pupilla, Orienti præsunt. Occiduo ast tu das *Augustule* finem.

II.

ARCADIUS. ORIENT. HONORIUS. OCCID.

Suscepère ne filii Theodosii imperium?

Constituerat illis Pater tutores, Arcadio Ruffinum, & Honorio Stiliconem.

III.

Nulline illis fuerunt ad versarij?

Arcadij ad versarius erat Alaricus Gothorum Rex, & Cajanus Arrianus, Dux illorũ. Honorij verò, tutor ipsius, Stilico.

IV.

Quid factum sub Honorio?

Ipsa urbs capta ab (a) Alarico, A. C. 410. ac (b) Francorum imperium A. C. 420. in Pharamundo initia sumsit.

(a) Cle-

1. Arcadius. 2. Theodosius II. 3. Martianus. 4. Leo. I. 5. Zeno Isauricus. 6. Basiliscus. 7. Anastasius Dicorus. Occidenti vero præerant, I. Honorius. 2. Valentinianus III. 3. Maximus, 4. Avitus. 5. Majoranus. 6. Severus. 7. Anthemius, 8. Olybrius. 9. Glycerius. 10. J. Nepos. 11. Augustulus.

Orbis divisus; retinente orientis habenas *Arcadio*, atque Pio *Theodosjo*, cuiq; dedit *Mars*
nomen; & occiduum moderatur *Honorius* orbem. (*anus*
Constanti huic soboles scelerata, *Valentini-Tertius*, in regno successit. *Roma tyrannos* suscipit, aspiciens tristi sua funera vultu. *Maximus* invadit regnũ, succedit *Avitus*. Hunc *Majoranus* sequitur. Tu sceptra *Severe*
accipis. *Anthemius* Cæsar, regnante *Leone* partibus Eoi datus est, suffectus *Olybro*, *Glycerius*, *Juliusq; Nepos*, quẽ pellit *Orestes*.

Interea

Interea *Zeno*, & *Basiliscus*, cuiq; biformis cognomẽ *Dicori* dederat pupilla, Orienti præsunt. Occiduo ast tu das *Augustule* finem.

II.

ARCADIUS. ORIENT. HONORIUS. OCCID.

Suscepère ne filii Theodosii imperium?

Constituerat illis Pater tutores, Arcadio Ruffinum, & Honorio Stiliconem.

III.

Nulline illis fuerunt ad versarij?

Arcadij ad versarius erat Alaricus Gothorum Rex, & Cajanus Arrianus, Dux illorũ. Honorij verò, tutor ipsius, Stilico.

IV.

Quid factum sub Honorio?

Ipsa urbs capta ab (a) Alarico, A. C. 410. ac (b) Francorum imperium A. C. 420. in Pharamundo initia sumsit.

(a) Cle-

(a) Clementem ſe in obpugnatione urbis, Alaricus præſtitit: *milites* ſiquidem *Romam ingreſſi, eo jubente eam ſpoliant tantum; non autem, ut ſolent gentes, ignem ſupponunt, nec locis ſanctorum in aliquo penitus injuriam irrogari patiuntur*; ſunt verba *Jornand.* de rebus Gothicis. p. 110. addendus *Iſidor.* Chron. Goth. *Peregrinus* Biblioth. Hiſp. Tom. 1. c. 7. p. 149. *Socrates*, l. 7. c. 10.

(b) De origine Francicæ gentis parum veritati conſona tradit *Joh. à Leides Carmel:* Chron. Belg. l. 1. c. 7. Dum enim eos, à Capitaneo eorum Franco, Hectoris Trojani filio, ſub Valentiniano demum, Francos dictos putat, Hiſtoriæ Romanæ & Germanicæ, in eo parum peritus eſſe videtur. Rectius ſentit *Lehmannus* Chron. Spir. l. 2. c. 42. *Hottomannus* Franc. Gall. c. 5. p. 52. *Burgold.* diſc. 5. p. 174 *Pacif. à Lap.* diſc. 4 p. 88. ſeqq. qui à *Libertate*, cujus populus hic ſtudioſiſſim' erat, Francos, liberos, die freyen / nominatos eſſe tradunt. Cœterum, licet Francorum nomen Cic. jam temporibus innotuiſſe *Pacif. à Lapide* l. c. doceat, Regem tamen,

men, primum omnium habuere Pharamundum; is enim ſolenni ritu, conſilio Parentis Marcomiri (quem *Hornius* Orb. Imp. p. III. primum Regem fuiſse, neſcio quo fundamento nixus, vult;) Rex creatus, regnum adminiſtrare cœpit. v. Illuſtris *Conring.* de Orig. Juris Germ. c. 7. p 18. *Emmius* l. 5. Rerum Chron. p. 186. Propagatum autem eſt hoc regnum in tribus familiis, nempe *Meroveorum*, *Carolidarum*, & *Capetinorum*, de quibus ſatis prolixe egit *Spenerus* Synop. Rerum Gall. Period. 3. & ſeqq.

V.

Quoties capta eſt Roma?

A temporibus Honorii, usque ad tempora Caroli M. quatuor vicibus capta eſt. Primum ſub Honorio, ab Alarico; dein imperante Martiano, â Genſerico Vandalorum Rege; poſt ab Odoacro. Tandem tempore Juſtiniani, â Totila.

VI.

Quinam ſub his fratribus docti Viri vixerunt?

Vidit hæc ætas *Johannem Chryſoſtomum*, (a) inſtinctu Eudoxiæ ab Arcadio, in exilium pulſum, Patrem Græcum; *Auguſtinum* (b) Hipponenſem in Africa Epiſcopum, validisſimum Manichæorum hoſtem, Pelagianorumque malleum; & (c) *Hieronymum* Stridonenſem Dalmatam.

(a) Magna inter eum, & Siſinnium, Novatianorum Epiſcopum, contentio exorta, quæ non facile componi potuisſet, niſi modeſtiâ oppidò prudenti, Siſinnius, ea propter a *Sozomeno* l. 8. Hiſt. Eccl. c. 1, laudatus, Chryſoſtomi, æquo rigidioris ac natura vehementioris, animum expugnaſset. v. *Vedel.* de Prud. V. E. Prol. c. 3. n. 4. p. 13 qui & l. 1. c. 1. n. 6. p. 49. quomodo Chryſoſtomus â Theo-

philo

philo labefactatus ſit, accuratius oſtendit. Quæ verò de educatione, vitæ conſuetudine, & ordinatione, inſignis hujus Eccleſiæ Doctoris ſcitu neceſsaria, ea peti poſsunt ex *Sozomeni.* l. 1. c. 2. & *Gerh.* Patrol. p. 340. Addatur & *Lipſtorp.* Form. Monarch. Pap. part. 1. c. 16. p. 189. qui cauſas exilii, nimiumque illius fervorem, in ſcenam producit.

(b) Primùm ipſe quidem Manichæus, dein verò ſcripturæ, ac inſuper, Eccleſiæ illius ætatis authoritate per motus, caſtra infamis hujus ſectæ deſeruit. v. H. Eccl. Goth. l. 2. c. 3. ſ. 4. n. 9. p. 373. Hunc autem Pelagianorum hoſtem, in ſuas partes, omnibus modis pertrahere conatus eſt *Janſenius Iprenſis Epiſcopus, ſtrenuus gratiæ irreſiſtibilis adſertor*, huicq; fini opus magnæ molis, ſuam & Dominicanorum ſententiam continens, adornavit, (quod Anno Chriſti 1640. Lutetiæ Pariſiorum prodiit.) eique AUGUSTINI nomen præſcripſit; qui liber, quomodo â Molinæ adſeclis exceptus ſit, more ſuo, h. e. accuratiſsime expoſuit, Admodum *Rev. D. Beer* in Dial.

Tr. de Infall. Eccl. adstructo. p. 187. seqq.

(c) Elegantissimam plane observationem, insignis Philologi Helmstadiensis, Cl. *Sauberti*, quam de Hieronymo, dissert. de Pasch. c. 1. §. 3. inseruit, hic adponere, non abs re. Ita autem ille. *Hieronymus cum Origine solus in Ebraea lingua versatus, ipse Ægyptum Judaeam, atque Syriam peragravit, harumque regionum linguas addiscens, ut litterarum & vocum stridores expressius ederet, & γνησίως Ebraicè dissereret, dentes anteriores limâ sibi deminui curavit.* v. de Hieronymo etiam *Vossius.* l. 2. de Hist. Lat. c. 11.

VII.

THEODOSIUS. II. OR.

Qualis fuit in imperio?

Optimus & religiosissimus Imperator.

VIII.

Curamne etiam Ecclesiae gessit?

Imo; convocavit enim Con-

Concilium Oecumenicum III. Anno Christi 431. Ephesi.

IX.

Contra quem?

Contra Nestorium, Germanicia Syriæ oppido oriundum, Episcopum Constantinopolitanum, quem damnatum, Oasim oppidum in Lybiæ desertis, deportari jussit.

Negavit hic, *idiomata humanæ naturæ, posse filio Dei verè tribui, ut, propter unionem, cum carne, filius Dei vere dici possit, natus, passus & mortuus: Licet alii errorem ipsius aliter proponant.* Videndus omnino hic *D. VVagner.* in annot. ad Orat. de Sibyllis. p. 16. Totam verò Nestorii, & Concilii hujus Historiam, sufficientissime tradidit, sæpius, nunquam tamen satis laudatus *D. Calixtus* Tr. de Persona Christi. p. 23. H. E. Goth. l. 2. c. 3. s. 4. n. 16. p. 382.

X.

Quinam Patrum concilio huic præfuére?

Cyrillus Alexandrinu[s] Græcus, (a) *Celestinus* Romanus, *Juvenalis* Hierosolymitanus, Episcopi.

(a) Hujus adversus Nestorium (quem ab errore, Epistolis ad eum scriptis, avocare voluit) anathematismos â Synodo hâc tertia adprobatos, adfer[t] *Forbes.* l. 2. c. 6.

XI.

Qui præter hos vixere?

Floruit *Vincentius*, (a) monasterii Lerinensis presbyter[,] *Severus Sulpitius*, *Theodoretus*, Cyri in Syria Episcopus (b) *Sozomenus* & *Socrates*, Historiæ Ecclesiasticæ scriptores Græci.

(a) Quid de eo sentiendum, discussit. Vir Ecclesiasticæ Antiquitatis peritissimus

ſimus, *D. Hildebrand* in Diatr. Theol. de genuinis veræ Antiquit. notis, §. 2. Cui ſuccenturiamus *Calixtũ* in procœm. ad illius commonitorium, tertio poſt Epheſinum Concilium anno ſcriptum, p. 20.

(b) v. *Voſsius* de Hiſt. Græc. l. 2. c. 20. p. 259.

XII.

Annon vero alia adhuc eſt Synodus Epheſina?

Eſt utique; ſed vocata ληϛρικὴ, quia Eutychiani, in ea vim adhibuêre Orthodoxis.

v. *Forb.* Hiſt. Theol. l. 2. c. 9. n. 4.

XIII.

Geſſit ne & bella Theodoſius?

Suscepit quidem arma adverſus (a) Attilam Hunnorum Regem, ſed tandem de concilianda pace, cum eo per Legatum Priſcum egit.

(a) Genus ſuum eum â Nimrodo

 dedu-

deducere velle, ex titulo, quo ſuperbiiſſe creditur, conſtat, v. *Ruperti* Obſerv. ad Beſ. p. 30. de quo tamen titulo quid ſentiendum, oſtendit *Schmidel* diſsert. de Gente Hung. c.3. n.6. *Hornius* diſsert. Hiſt. Pol. 21. §. 12. p. 196. Cœterum, duo plane quæ ad memoriam inſignia, temporibus Theodoſii addenda, quorum unum triſtiſsima illa Eccleſiarum Chriſtianarum ſub Perſico, Imperio viventium, imprudenti Zelo Audæ Epiſcopi, excitata perſecutio, quam pluribus recenſent, *Socr.* l. 7. c. 8. *Theodoret.* l. 5. c. 38. Alterum verò, eſt codex Theodoſianus, Chriſtianorum Principum, â Conſtantino M. usq; ad Theodoſium II. conſtitutiones continens.

XIV.

VALENTINIANUS III. OCCID.

Quid factum ſub eo?

Italia vaſtata ab Attila, qui etiam Romam delere voluit.

XV. *Num*

XV.

Num factum?

Non, sed mitigatus est à Leone Pontifice.

Argentoratum tamen, antea Argentina, Silberthal dicta, ab eo excisum. v. *Lehm.* Chron. Spir. l. 1. c. 31. p. 50. Post Valentiniani vero tempora pleraq; occidentalis imperii, â Germanis sunt occupata, ita ut Romanum nomen in iis terris penitus fere oblivione sepultum sit. v. *Pacif. à Lap.* ad Monzamb. disc. 6. p. 168.

XVI.

MARTIANUS. OR.

Quomodo pervenit ad imperium?

Ope Pulcheriæ, sororis Theodosii.

XVII.

Quid fecit in imperio?

Convocavit IV. Concilium Oecumenicum Chalcedonense,

donense, Anno Christi 451. contra Eutychen, monachum Constantinopolitanum.

Quæ Eutychis hæresis sit, tradit *Severinus Boëthius*. l. de duab. nat. c. 4. *Evagrius*. l. 2. Hist. Eccl. c. 4. Tribus autem erroribus cum contineatur, eos verbis D. Cellarii referemus. Primus itaque, *Christum ex duabus naturis, sed non in duabus naturis esse, cum naturarum altera in alteram sit conversa, & quasi spissata.* 2. *Divinitatem esse natam passam, crucifixam, sepultam, mortuam.* 3. *Corpus Christi nobis ὁμοούσιον non extitisse.* Ita ille. dissert. de Union. Person. §. 6. Omnem verò Eutychis, hæresisque illius historiam compendio proposuit B. *Calixtus* in Progr. Tr. de Persona Christi inserto, p. 17. seqq. sed prolixius, *Theodorus Althusius*, tractatu insigni de Historia Eutychiana A. C. 1659. Lipsiæ edito.

XVIII.

Quid porro factum?

Æqualitas in Ecclesiasticis nego-

negotiis, inter Conſtantinopolitanum & Romanum Epiſcopum, eſt introducta.

Confirmavit enim Conſtantinopolitanum canonem canon hujus concilii, quem vide in diſsert. de Primatu Romani Pontif. *Calixti.* §. 34. & *apud Drejer.* de Controv. cum Pontif. diſp. 13. p. 315. addatur *Lipſtorp.* Form. Monarch. Pap. part. 2. c. 21. n. 11. & ſeqq.

XIX.

Quot interfuerunt concilio Epiſcopi?

Convenêre ad hanc generalem Synodum, ex orbe univerſo ſexcenti circiter & triginta Epiſcopi, eique Martianus ipſe cum Pulcheria conjuge interfuit.

Epiſtolam Leonis, contra Eutychis hæreſin, in hoc concilio lectam & adprobatam adducit *Forbeſ.* Inſtr. Hiſt. Theol. l. 2. c. 11.

XX.

Fueruntne Valentiniani in Occidente successores, legitimi Imperatores?

Non; nam morte Valentiniani penitus subversum est Occidentis imperium, fortunæque lusu, ad varios delatum, usq; tandem terminum fatalem in Augustulo invenit.

XXI.

LEO. I. THRAX. ORI.

Quis eum ad imperium evexit?

Senatus Constantinopolitanus.

XXII.

Quid factum sub eo?

Constantinopolis tota fere conflagravit.

XXIII.

XXIII.

ZENO ISAURICUS. ORI.

Quid fecit hic?

Theodorico Ostro Gothorum Regi Italiam concedit.

XXIV.

Quomodo mortuus?

Vivus ſepulcro, juſsu uxoris incluſus, inibi vitam finiit.

XXV.

BASILISCUS. ORI.

Quid illo imperante memoriâ dignum contigit?

Eo imperante Bibliotheca Conſtantinopolitana, in qua centum millia librorum, (a) incendio periit.

(a) Homeri Ilias & Odyſsea, Draconis inteſtino, centum & viginti pedes

longo, aureis literis inſcripta, pars quoque ſplendidiſsimæ hujus Bibliothecæ fuit. Licet verò immortalis ingenii ſit memoria, libris tamen certiſsima mors vel ignis *Piccart*. Decad. 7. Obſerv. c. 10. vel alia quævis infelicitas, pluribus id oſtendente *Conringio* de Bibl. Auguſt. p. 16. Cœterum literas Baſiliſci Henoticas exhibet *Evagrius* l. 3. c. 4. quas eruditâ diſput. illuſtravit *Bebelius* Anno Chriſti 1666.

XXVI.
ANASTASIUS DICORUS. OR.

Quid in imperio egit?

Geſsit per duces ſuos bella contra Longinum, Zenonis Imperatoris fratrem, & Cabadem Perſarum Regem.

IV.

Anne Eccleſiæ defenſor fuit?

Non, ſed Eutychianis impendiò favebat.

Syn-

Syngraphâ, priusquam ab Euphemio Patriarcha Conſtantinopolitano coronaretur, fidem dedit, ſe decreta concilii Chalcedonenſis ſervaturum : neque enim aliter in coronationem illius Euphemius conſentire volebat, niſi ſcriptâ confeſsione, ea, quæ Chalcedonenſis Synodus de fide conſtituiſset, ad probaſset. Enimvero cum pulſo Euphemio, Macedonius, hujus nominis ſecundus ſuccederet, ut Syngrapham redderet, ab illo Anaſtaſius efflagitavit; aſt is eam reſtituere Imperatori noluit; quare non tantum in exilium ab eo ejectus, ſed & illius tandem juſsu trucidatus eſt, quæ tamen impietas illi non ſic abiit, ſiquidem anno 27. imperii fulmine cœlo tactus periit Anno Chriſti 518. v. *Evagrius* l. 3. *Buch.* in Ind. p. 256. *Cuſpinian.* p. 169. *Hiſt. Eccl. Goth.* l. 2. c. 3. ſ. 5. p. 410.

XXVIII.

AUGUSTULUS.

Fuitne hic ultimus Occidentis Imperator?

Omnino, barbaris enim & pere-

peregrinis imperium rapientibus, cum illo occidentis regnum deletum.

XXIX.

A quo turbatus est regno?

Ab Odoacro Herulorum Rege, è Rugia insula Oceani oriundo.

XXX.

Qui verò post tempora Ephesini concilii præcipui clari scriptores fuerunt?

Floruêre sub Valentiniano III. *Johannes Cassianus* Scytha, Presbyter Massiliensis, & *Prosper* Aquitanicus. Sub Anastasio *Gennadius*, eique σύγχρονος, *Salvianus*, Massilienses Presbyteri.

SECUL.

SECUL. VI.

I.

Quæ est Series Imperatorum hujus seculi?

Imperio occidentali ſublato, ſucceſsio Orientalium Imperatorum, Occidente excluſorum, adhuc duravit. Fuere itaque hujus Seculi. 1. Juſtinus I. Thrax. 2. Juſtinianus. 3. Juſtinus II. 4. Tiberius II. 5. Mauritius Cappadox.

Italiæ penes eſt *Gothos* jam gloria regni,
& *Longobardos*. Orientis frena capeſsit
pertæſus ſtabuli *Juſtinus*. *Juſtinianus*
relligionis amans, regni fundamina leges

colli-

collligit, & reddit *Justino* ſceptra *ſecundo.*
Alter Tiberius felix. Sed triſtia paſſus
Mauritius, tandem cum natis enſe peremtus.

II.

Quale fuit hoc Seculum?

Non tantum eruditionem omnem in occidente Gothorum, Francorum, aliorumque arma paulatim peſſum dedere, ſed & Eccleſiam, tot Barbarorum devaſtationes miſere deformarunt.

III.

Quale vero regnum poſt Auguſtulum in Italia exortum?

Regnum Odoacri. Hic enim

enim primus se Italiæ Regem dixit.

Desiit imperium Occidentale anno V. C. 1229. â temporibus Augusti, 517. ab incarnatione Christi 475. v. *Bucholtz.* indic. p. 249. *Jornand.* p. 59. *Diac.* l. 6.

IV.

Quis post Odoacrum præfuit Italiæ?

Theodoricus (a) Ostrogothorum Rex Arrianus, qui Severinum Boëthium, (b) & socerum ejus Symmachum, interemit.

(a) Hunc Græci Theuderichum vocant. Aliquoties congressus est cum Odoacro, eumque Ravennæ inclusum per triennium obsedit. Tandem pace cum eo facta, ac ad convivium vocatum, cum filiis, per sicarios interfecit. Plura, ad vitam & res gestas hujus regis pertinentia, subpeditabit dissert. *Boecleri*, de Theodo-

Theodorico, Anno Christi 1661. edita.

(b) v. *Gerhard.* Patrol. p. 463.

V.

Quæ pœna secuta?

Piscis capite (quod Symmachi putabat esse,) in mensa adposito, perterrefactus, extinctus est.

Rem integram ita recenset *Procopius.* l. 1. Goth. *Symmachus, & Boëthius ejus gener, nobilissima stirpe orti Senatores & consulatum adepti erant; ambo sapientiæ studiis exerciti, ambo juris observantes, supra quam dici posset, erant; multis civium, multis & externis promti solari inopiam, fama insignes, inde sibi acerbissimorum hominum invidiam peperere. His calumniam in illos appetitarum rerum novarum struentibus, fidem habens Theuderichus, vitam utrique ademit, bona redegit in fiscum. Non multis diebus post cœnanti regi appositum â ministris est piscis magni caput: id Theuderícho caput visum occisi nuper esse Symmachi, dentibusque in*

labrum

labrum inferius impressis, sævumque & horrendum ipsi intuens, minas ipsi intentare. Portentoso visu exterritus, ingentique percussus frigore, cursu cubiculum petiit; jussitque insterni sibi multis vestibus, quievit. Post in Symmachum ac Boëthium quod peccaverat, deflevit, pœnitentiaq; & doloris, magnitudine, non multo post obiit. Hactenus Procopius. v. & *Bucholtzerum*: Ind. p. 261.

VI.

JUSTINUS THRAX. OR.

Quomodo hic ad imperium pervenit?

Hic primo subulcus, dein bubulcus; post minister lignarii, rursus miles, tandem imperator.

VII.

Fuitne amicus Ecclesiæ?

Utique: Synodum enim Constan-

Constantinopolitanam convocavit, fideque Chalcedonensi confirmata, in Severum Episcopum Antiochenum, quod eam convitiis proscinderet, graviter animadverti vult.

Flaviano Orthodoxo Episcopo, ab Imperatore Anastasio, & adversariis Synodi Chalcedonensis in exilium ejecto, succcisit Severus, teste *Evagrio*. l. 3. c. 33. & *Niceph. Callisto*. l. 16. c. 29. *Adversus eum, tres Synodi, nempe una sub Patriarcha Johanne Constantinopolitano, rogatu Clericorum & Monachorum Antiochiæ; altero sub Epiphanio, tertia sub Menna, congregatæ sunt. Tandem metuens, ne lingua exsecta, impietatis pœnas daret, fuga salutem quæsivit.*

VIII.

JUSTINIANUS. I. OR.

Quis ei Imperium commisit?

Justinus successorem eum designa-

designavit. Cum itaque decessisset, consensu Senatus & exercitus, imperio admotus est.

IX.

Qua re memoriam sui posteritati commendavit?

Arte & Marte. Non enim tantum (a) jus Romanum per (b) Tribonianum, aliosque viros juris peritiâ excellentes, ex Gregoriano, Hermogeniano, & Theodosiano codice in unum redegit, sed & tria gravissima bella, per (c) Narsetem & (d) Belisarium gessit.

(a) Consulendus hîc omnino *D. Conringius.* de Orig. Juris Germ. c. 35. p. 238. seqq. *Boxhorn.* Hist. Univers. p. 376. seqq.

(b) Ad-

(b) Adversarios, per quam multos merito suo expertus est Atheus & nimis ad rem attentus, Tribonianus, quorum alii ignorantiam, alii vero audaciam, in Veterum JCTorum sententiis pervertendis minime ferendam, ei exprobrant. v. Vir magni nominis *B. Richterus* Orat. de arcanis aulis Justinian. Epistolico operi, præfixa. p. 57. 58. *Pacius* in meth. Juris. l. 2. p. 25. & Magni Conringii judicio, l. c. p. 236. prudentissimus, longeque jurium omnium doctissimus *Hottomannus*, in Anti-tribon. c. 9.

(c) De eo ita *Paulus VVarnefrid* de Gestis Long. l. 2. c. 3. *Narses prius chartularius* (Cedrenus, cubicularium nominat, Ναρσῆς ὁ Κυβικυλάριος) *fuit, dein propter virtutum merita, patriciatus honorem* (quem â Constantino M. institutum Justinianus. Inst. l. 1. Tit. 12. *Summam dignitatem* vocat) *honorem promeruit.*

(d) Quæ ad notitiam rerum Belisarii pertinent, ea in veniuntur in *Hub. Giphanii* Tr. de Justiniano Imperatore, industria *Cl. Arnoldi* edito, ubi etiam sufficienter

cienter Fabula, de cœca illius mendicitate, explosa.

X.

Quæ sunt illa?

Persicum, Vandalicum, & (a) Gothicum.

(a) Improbat Gothicum bellum Justiniani, Onuphrius Panvinius. l. 4. c. 4. quem loquentem introducit *Strauch.* dissert. de Exarchatu, §. 17. ubi insimul elegans ea de re judicium, his verbis, addit. *Adeo difficile est, ê principatu laudem acquirere, cum pax ignaviam taxandi principis, bella crudelitatem ejus detestandi, diversissime affectis censoribus, occasionem subpeditent; sed excelsus animus & recti conscius sibi, despicit calumnias quas evitare non potest.* Enimvero ansam inter alia, ut adversus Imperatorem nostrum insurgeret, ex in quoque sumsit, cui multi Procopii insunt, Alemannus; cujus tamen perfrictæ frontis audaciam satis retudit *Thomas Rivius* J. C. Regis Angliæ Advocatus, in eleganti Imperatoris Justiniani adversus Alemannum defen-

defensione, quam Anno Christi 1654. rursus edidit *Joh. Eichelius* J. C. Helmstadiensis, qui insuper in animadversionibus ad Procopii Historiam arcanam, famæ Justinianeæ egregium se vindicem præstitit.

XI.

Numne & Ecclesiæ curam gessit?

Veræ & Apostolicæ fidei studiosus, Concilium Constantinopolitanum II. indixit Anno Christi 551.

XII.

Contra quos?

Contra Origenis, Evagrii & Didymi scripta.

XIII.

Quid verò factum in occidente sub Justiniano?

Totilas variam fortunam expertus, Romam capit, ac vastat.

ſtat. Tandem verò â Narſete victus, qui univerſam Italiam ad Reip. jura reduxit.

v. *Paul. Diac.* l. 7. *Jonſt.* Polyhiſt. l. 3. p. 668. *Gotsofredus* Hiſt. antiq. l. 4. p. 414.

XIV.

JUSTINUS. II. OR.

Sub eo quid contigit?

Cœpit ſub eo Exarchatus, regnumque in Italia Longobardicum, ſua primordia Narſeti debens.

v. ſupra p. 43. *Sigonius*, l. 1. de regno Ital. p. 4.

XV.

TIBERIUS II. ORI.

Fuitne laude dignus?

Omnis avaritiæ cauſas procul habens, inſigni liberalita-

te, & amore famam ſibi comparavit, Mauritiumque generum, ſucceſsorem regni conſtituit.

XVI.

MAURITIUS. ORI.

Qualis fuit Imperator?

Licet & virtute & bellica laude clarus fuerit, imperiumq; bene geſserit, eum tamen avaritia immiſericordem fecit: quo ipſo ſe ſuosque, Imperatorum omnium infeliciſsimus, in extremam miſeriam præcipitavit.

XVII.

Adverſus quos immiſericors fuit?

In captivos milites, pro quibus ſingulis, cum dimidium num-

nummi ſolvere Cagano Avarum Regi noluiſset, tot millium ſanguine, & manus hoſtis, & conſcientiam ſuam imbuit.

XVIII.

Impune ne id fecit?

Non, ſed juſto judicio Dei, cum ſuis â Phoca trucidatus eſt.

v. *Paulus Diac.* l. 17. *Niceph.* l. 18. *Evagr.* l. 5. & 6. His verò temporibus Mauritii, illud inſuper addendum, quod duo, nempe *Johannes Conſtantinopolitanus* & *Gregorius M. Romanus*, Epiſcopi, de titulo *Oecumenici* inter ſe diſceptārint. Cum enim Conſtantinopolis, Conſtantini M. beneficio, veteri Romæ antecelleret, Johannes quoque Epiſcopus illius, Romano cedere indignum ratus, titulo *Oecumenici* uſus eſt. Enimverò, rei novitate permoti Pelagius II. ejusque ſucceſsor Gregorius M. & ad Cæſarem Mauritium, & ad ipſum Johannem

hannem literas dedere, quibus, *Ecclesiam Oecumenici nomen non ferre posse*, ostendebant. Sed frustra, quam diu vixit Imperator, Gregorius fuit. Etsi vero facile Oecumenici titulus eum sensum gignat, quem Gregorius sibi impugnandum jure sumsit, non tamen eandem mentem Johanni fuisse, putant *D. Drejer.* disp. 14. Controv. cum Pontif. p. 322. *D. Kortholt* kohlschwartzes Papstthum. c. 3. §. 4.

XIX.

Nullisne, ob irruptiones Barbarorum in Italiam, praeclaris scriptoribus illustre est hoc seculum?

Habuit sane adhuc aliquos, quos inter præcipui in Oriente *Leontius*, Byzantinus Monachus, *Evagrius* Scholasticus, Sozomeni continuator, & *Johannes* Episcopus Constantinopolitanus, *Jejunator*, ob miram abstinentiam dictus. Occi-

Occidentis verò ſcriptores fuere, *Fulgentius Afer*, *Venantius Fortunatus*, *Severinus Boëthius*, *M. Aurelius Caſsiodorus*, duo *Gregorii*, alter *Turonenſis*, alter Epiſcoporum Romanorum, & quidem proborum, fere ultimus, *Magnus* dictus. His addendus ſub Juſtiniano *Jornandes*.

SECUL. VII.

I.

Quis eſt ordo Imperatorum Seculi Septimi?

1. Phocas. 2. Heraclius. 3. ConſtantinusIV. 4. Heracleonas. 5. Conſtans II. 6. Conſtantinus V. Pogonatus. 7. Juſtinianus II. Rhinotme-

tus. In Italia vero rerum summæ præerant Exarchi.

Italia *Exarchos* veneratur; sanguine, *Phocæ*
sceptra madent. Muhamet regnum tibi turbat *Heracli.*
Jam *Constantinus quartus*, proh fraude novercæ
extinctus. Sed *Heracleonas* in flore juventæ
occubuit rursum. Rapit ornamenta, *secundus*,
urbis Romanæ, *Constans.* Felicibus armis
victus Arabs *Constantini Quinti*, Ast malus hæres
filius imperii fuit *alter Justinianus.*

II.

PHOCAS.

Quis ei commisit imperium?

Postquam Mauritius cum uxore & liberis â Phoca trucidatus esset, illum milites in cly-

clypeum sublatum Imperatorem salutavêre.

Hunc Monarchiæ papalis, qualis tempore Lutheri, & hodie est, fundatorem fuisse, ex Historicis probari non posse, pluribus ostendit *Kortholt.* l. c. ut ut illud extra controversiam sit, eo ipso, quo Bonifacio III. Pontifici Romano concessum, ut sedes Apostolica caput esset ac diceretur omnium Ecclesiarum, fundamenta Sacræ tyrannidis esse jacta; siquidem ex hoc tempore, Pontifices se Oecumenicos & Universales deinceps dixerunt. Secretarii Desiderii Longobardorum Regis, Pauli Diaconi hæc ea de re verba sunt, l. 4. de Gestis Longob. c. 37. *Phocas, rogante Papa Bonifacio, statuit, sedem Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ caput esse omnium Ecclesiarum, quia Ecclesia Constantinopolitana, primam se omnium Ecclesiarum scribebat.* Paria habet *Augustus Thuanus* Hist. l. 67. *Phocas,* inquit, *Bonifacio III insignes Episcopi Universalis titulos, quos nuper Gregorius*

in Johanne Constantinopolitano improbaverat, prolixe attribuit.

III.

Quis fuit Tyranni Phocæ vitæ exitus?

Octavo imperii anno, à conjuratis quibusdam Heracleona & Heraclio, obpressus, pudendis exsectis in æreo camino crematus est.

IV.

HERACLIUS.

Anne verò Phoca interfecto Heraclius imperium accepit?

Utique milites enim acclamante populo, Cæsarem eum declaraverunt.

V.

Bene ne illud administravit?

Lente quidem, quæ Pho-

cas

casneglexerat, restituit: eum tamen incestuosæ, cum Martina fratris filia, nuptiæ infelicem reddidêre.

VI.

Cum quo bella gessit?

Cum Cosroë Persarum Rege, quo victo pacem Romanis restituit.

Abstulerant Persæ lignum crucis Christi: sed cum rursus ab Heraclio in hoc bello illis eriperetur, illo Hierosolymitanum templum exornavit, ac insuper in hujus divini beneficii victoriarumque memoriam, Festo exaltationis crucis quotannis celebrando 14. Sept. sacrum esse voluit. *Bucholtz* in ind. p. 278. *Hist. Eccl. Goth.* l. 2. c. 3. S. 6. p. 439.

VII.

Fuit ne orthodoxæ religioni addictus?

Antequam Athanasius Jacobi-

cobitarum Patriarcha (a) Monothelitarum hæresi Eutychianismi propagine animum ejus imbueret, orthodoxus conciliorum Oecumenicorum fuit defensor; post verò in partes horum descendens, palam hæreticam doctrinam (b) promulgari passus est.

(a) Cœpit ab Anno Christi 628. hæresis hæc inclarescere, quæ tamen rursus cum promotoribus suis, A. C. 649. in Concilii Lateranensis Romani Synodica confessione, damnata.

(b) Et hæc est illa ἔκθεσις, sive expositio fidei, doctrinam monothelitarum continens, quæ A. C. 639. publicam lucem aspexit, de qua vid. *D. Strauch.* in Dissert. Hist. Theol. de Monothelitis. §. 20. *Forbes.* Instr. Hist-Theol. l. 5. c. 1. Addatur *Hist. Eccl. Goth.* l. 2. c. 3. S. 6. p. 439.

VIII.

VIII.

Quid præterea circa tempora Heraclii contigit?

Muhamed, (a) genere Arabs ſeſe exſerit, ac de nova religione excogitanda conſilia ſuſcipit, quam orbi Chriſtiano obtruderet.

(a) Natus ille Chriſtianorum Satanas circa Annum Chriſti 570. juxta *Calv.* imperium tenente Juſtino juniore, patre Abdalla, matre Emena ſive Amena, durisque admodum initiis adoleſcentiæ uſus, morte domini ſui, (cui hactenus à ſervitiis fuerat, cujusque uxorem magnis opibus circumfluentem in uxorem duxerat) tandem ad illud faſtigium potentiæ pervenit, ut populares illius Arabes, ab Heraclio, ob denegata ſtipendia deficientes, ducem ſibi eum eligerent. De vita autem ejus, plura qui deſiderat, adeat *Hornbek* ſummam Controverſ. l. 3. *Forbeſ.* Inſtr. l. 4. Venerab. *Dilherrum.* Hæret.

Confess. Aug. M S. *Leunclavium*, Hist. Musulm. *Elmacinum*, Hist. Sarac. l. 1. c. 1. *Hott*, Hist. Orient. l. 1. c. 6.

IX.

Cujus ope novam religionem confinxit?

Ope Sergii, Monachi Nestoriani, & Baira Jacobitæ.

X.

Num est Alcorani author?

Non quidem ipse Muhamed, sed comes ejus Abubecer.

Et hic Alcoranum in ordinem, ex schedis Muhamedis redigit. v. pluribus de Alcorano *Pfeifer*, dissert. Phil. 4. Continentur verò in Alcorano Muhamedismi dogmata, & religio, quam rectissime *Christianæ religionis, & fabularum Judaicarum quandam saturam*, vocare licet. Hunc librum tanti æstimant, ut nemini Christianorum vel Judæorum, nec ipsis quidem Muhamedanis immundis & illotis,

illotis, fas sit eum attingere. *Qua de causa, ne imprudenter peccent*, inquit *Erpenius*, in not. ad Surat. Josephi, *corio ejus extrinsecus, majusculis litteris inscribere solent*, NE TANGAT EUM NISI MUNDUS. Interea de Religione Muhamedana plura legenda occurrunt in dissert. de Relig. Ethnica &c. *D. Kortholt*, p. 31. & apud *Holm.* brevis Consid. Theol. Muham. quibus addendi Authores superius citati

HERACLEONAS. CONSTANS.

XI.

CONSTANTINUS IV. POGONATUS.

Cur dicitur Pogonatus?

A πώγων barba; quia imberbis in Siciliam abiit, barbatus rediit.

XII.

Fuitne bonus Imperator?

Optimus ac Orthodoxæ fidei amantiſsimus; unde Synodum Conſtantinopolitanam III. Oecumenicam VI. Anno Chriſti 681. indixit, in qua Sergius, ejusque ſucceſſor Pyrrhus damnatus.

Non tantum in hoc concilio, ſed & Anno Chriſti 649. in concilio Lateranenſi, Præſide Martino, Romano Pontifice, Epiſcopi 105. & A. C. 680. ſub Agathone in alio Concilio Rom: Epiſcopi 120. hæreſin Monothelitarum damnarunt. Ea verò hora, qua Conſtantinus ab Epiſcopis 170. (quanquam alii, ut *Sigbertus*, *Cedrenus*, & *Otto Friſingenſis*, 289. adfuiſse ſcribant) in Concilio Conſtantinopolitano congregatis, pravam Monothelitarum doctrinam damnari voluit, *tantæ araneorum telæ in medio populi ceciderunt, ut omnes mirarentur; ac per*

ac per hoc significatum est, quod sordes hæreticæ pravitatis depulsæ sint, ſunt verba *Pauli Diaconi*. l. 8. apud *Dion. Gottofredum*. l. 4. Hiſt. Antiq. p. 462. Interea edictum ejus, de fide Catholica, & damnatione Hæreſeos Monothelitarum, ut & Honorii Papæ Romani, legi poteſt, apud *Goldaſt*. Conſt. Imper. tom. 3. p. 642.

XIII.

Anne etiam bella geſsit?

Imo graviſsima cum Saracenis, quorum claſsis igne Græco, â Callinico facto, combuſta, ac Saracenorum 30000. ſubmerſa perierunt.

XIV.

JUSTINIANUS II.

Quis fuit?

Pogonati Imperatoris filius, patris in imperio ſucceſsor, ac ultimus ſtirpis Heraclii, Rhinotmetus

notmetus dictus, â ῥὶν nasus, & τέμνω seco, quod truncatis esset naribus.

XV.

Qualis fuit in imperio?

Pessimus & fœderum ruptor.

XVI.

Cum quibus ei fœdus erat?

Cum Saracenis & Bulgaris.

XVII.

Numne impune id fecit?

Minime; siquidem Saraceni invocato Deo, Tabulis induciarum de hasta suspensis, victoriam obtinent.

Ita longe antequam Hetruscus ille Politicus lucem aspexit, insignis perfidiæ exempla vidit, & admiratus est orbis. Nempe, *qui honestum utili metiri consuevêre, iis nihil facilius, quam fidem datam solvere.*

solvere. Tali ingenio fuit Mahometes II. qui *præstare fidem, Mercatorum esse, non Principum*, dixit. Verum enim verò, quemadmodum omnia accuratius Principi, prius quam fide se hosti obstringat, sunt ponderanda; ita, â fide, juramenti religione semel data ac roborata, nunquam recedat. Semper enim divinam justitiam vindicem experti ii, quibus solenne, cum Philippo Macedonum Rege, jurejurando publico, velut moneta uti. Sensit id magno suo cum malo hic Justinianus, cui ex asse conforme exemplum Uladislai Hungariæ Regis, quod *Bonfinius*. Dec. 3. l. 6. *Hist. Scanderb.* l. 2. *Paulus Jovius.* l. 2. *Callim.* de clade Varn. *Christ. Matth.* Theatr. Hist. p. 669. *Berneggerus* Observ. Hist. Pol. 24. p. 255. commemorant. His adde Dissert. *Felvv.* de fide data â Principe, &c. p. 169.

XVIII.

An verò plane nullus fuit scriptorum clarorum, qui hoc seculum illustravit?

Etsi non leves calamitates secu-

ſeculum hoc adflixerint, habuit tamen nonnullos, inter quos Principes (a) *Iſidorus Hiſpalenſis*, ſtirpis Gothicæ, qui temporibus Heraclii Hiſpaniam illuſtravit, & (b) *Theophylactus Simocattus*.

(a) v. *Voſsius*. l. 2. c. 25. *Gerhardus* Patrol. p. 483. *Mair* Biblioth. l. 1. c. 7. §. 6. p. 71. *Peregr*. Bibl. Hiſp. Tom. 2. p. 215.

(b) *Voſsius* de Script. Græcis l. 2. c. 23.

SECUL. VIII.

I.

Qui ſunt Seculi Octavi Imperatores?

Habuerunt initia hujus Seculi adhuc Juſtinianum Rhinotmetum, ſed eo ſublato 1. eſt Philippicus Bardanes. 2. Arte-

2. Artemius mutato nomine Anaſtaſius dictus, 3. Theodoſius. 4. Leo Iſaurus. 5. Conſtantinus Copronymus. 6. Leo Porphyrogenneta. 7. Conſtantinus VII. cum matre Irene. Innotuere etiam in hoc ſeculo Iconomachi & Iconolatræ.

Quæ fortuna dedit tibi regna *Philippice*, rurſus
poſcit *Anaſtaſius*. *Theodoſius* ſponte relinquit
Tertius imperium. *Leo* poſt ſucceſſit *Iſaurus*.
Filius hunc ſequitur *Copronymus*. Huic *Leo quartus*,
& *Conſtantinus ſextus* ſucceſsit. *Irene*,
gnato interfecto, tres annos ſola gubernat.

II. PHI-

II.

PHILIPPICUS BARDANES.

Num legitime consecutus est imperium?

Invasit imperium Anno Christi 711. postquam Justinianum interfecisset. Id autem negligenter, dissipatis illius opibus, administravit. Quare jussu Artemii, qui ei â secretis consiliis erat, oculis privatus ac imperio motus est.

III.

Quid autem porro fecit?

Sextam Synodum abrogavit, primusque (a) imagines templis ejecit.

(a) Eo ipso verò odium populi adver-

fus

ſus ſe excitavit, quod teſtatur *Paulus Diacon.* Hiſt. Long. l. 6. *ſtatuit Populus Romanus, ne hæretici Imperatoris nomen, aut chartas, aut figuram ſolitam ſuſciperent. Unde nec ejus effigies in Eccleſiam introducta eſt, nec nomen ad Miſſarum ſolennia prolatum.*

ANASTASIUS. THEODOSIUS.

VI.

LEO ISAURUS.

Quomodo ille ad imperium pervenit?

Poſtquam Theodoſius Anaſtaſium monaſterio incluſerat, poſt paulo & ipſe Leoni III. imperium relinquens, ſuum inter Monachos nomen dedit.

V. Fuit

V.

Fuitne Iconomachus?

Utique cultum enim religiosum imaginum plane aboleri jussit, unde sequuta solennis ab Imperatore defectio.

A Justini Martyris tempore, usque ad Lactantium Christianos Imaginibus & simulacris caruisse, ex historiâ & testimoniis scriptorum illius temporis probari potest. Quod enim de Imagine Christi, ab ipso Christo linteo impresso, & Regi Abgaro misso, tradunt Pontificii, id si non fabula, certe â veritate plane alienum videtur. Seculo tamen quarto, ante Concilium Oecumenicum Nicænum, paulatim imaginibus, sed pictis, saltim in populi usum, Ecclesiæ exornabantur. Enimverò cum exinde abusum quendam, Synodus Elibertina metueret, eas templis exesse voluit. Iniquior illis fuit Seculo VI. Serenus, Massiliensis in Gallia Episcopus; siquidem eas non tantum ferre noluit, sed & insuper confregit,

fregit, obquem fervorem, altera vice eum reprehendit Gregorius M. Episcopus Romanus. v. l. 7. Ep. 109. & l. 9. Ep. 9. Ast cum Seculo VII. & VIII. nimius imaginum cultus in superstitionem & idololatriã deflecteret, malo huic medicinam, Sereni vestigia premens, Leo Isaurus edicto publico parare voluit; cumque in eo Germanum Patriarcham sibi resistentem animadvertisset, eum honore suo exuit. Acerrimos autem deinde adversarios expertus est, Gregorium nempe II. & III. Pontifices, quorum hic, cum Imperatorem ab Iconomachia frustra dehortaretur, plane anathemate illum percussit, ac vectigalia Romana, quæ hactenus Imperatori Constantinopolitano pendebantur, inhibuit. Cœterum copiosius Historiam Imaginum tradit *D. Johannes Hennichius* Diss. de cultu Creat. q. 7. p. 29. seqq. *D. Dreier.* Dissert. contra Pontif. 30. & 31.

VI.

Quid dignum memoratu habet Isauri imperium?

Illud, quod orientis lumen

(a) Damaſcenus, primus (b) Theologiam in diſciplinæ ordinem redegerit.

(a) Nonnulli eum ad Theodoſii tempora referebant, ſed rectius ſentit cum *Voſſio*. l. 2. de ſcript. Græcis. c. 24. *Gerhardus* Patrol. p. 497. qui eum Leonis III. temporibus vixiſſe probant.

(b) *Calixtus* Appar. Theol. p. 127.

VII.

Floruere ne præter Damaſcenum alii Viri præclari?

Floruit his temporibus in Occidente Venerabilis (a) Beda Presbyter Anglus, Damasceno σύγχρονος, & Bonifacius, (b) primus Moguntinus totiusq; Germaniæ Epiſcopus.

(a) v. *Voſſius* de Hiſt. Lat. l. 2. c. 28.

(b) *VVinfridus*, priusquam Gregorius Papa nomen ei Bonifacii tribuerat, dictus eſt. Teſtis *Albertus Stadenſis* ad

Annum

Annum Christi 755. *Primus omnium, qui Australes Germaniæ partes idolorum cultui deditas, ad cognitionem doctrinæ ac Christianæ Religionis adduxit, VVinifridus erat, natione Anglus, verus Christi Philosophus, cui postea cognomentum ex virtute erat Bonifacius.* v. *Voss.* de script. Lat. l. c. c. 29. Illud verò hic monendum, cum Bonifacius primus totius Germaniæ Episcopus dicitur, non eum esse sensum, ac si illius demum operâ doctrina Evangelii inibi innotuerit; (siquidem jam ante tempora hæc, gentes quædam Germaniæ nomen Christo dedere) *sed quod, quicquid residui erat Paganismi, restauratione & propagatione Christianæ fidei, evertere voluerit, licet non exigua pars Germaniæ Cimmeriis nihilominus tenebris circumsepta permanserit.* Consulendus hic *Conringius* Exercit. de Constit. Episc. §. 3. seqq. Hoc insuper Bonifacii laudibus accedit, quod post S. Cunibertum alter fuerit Archi-Cancellarius, & quidem Pipini Regis Francorum, teste *Malinkrot.* Tr. de Archi-Canc. p. 7. Plura Bonifacii gesta tradit Aventinus,

 l. 3.

l. 3. Annal. Bojor. & *Serarius* l. 1. Moguntinarum.

VIII.

Quid porro temporibus hujus Imperatoris contigit?

Carolus Martellus Major domus, (a) Caroli M. avus, Princeps Francorum ſalutatur.

(a) Fuit maximus ex *majoribus domus*, quorum officium omnem poteſtatem regiam, præter titulum & coronam, complectebatur. De iis ita *Eginhardus* in vita Caroli M. *Opes & potentia regni penes Palatii præfectos, qui Majores domus dicebantur, & ad quos ſumma imperii pertinebat, tenebantur; neque regi aliud relinquebatur, quam ut regio tantum nomine contentus, crine profuſo, barba ſubmiſſa ſolio reſideret, ac ſpeciem dominantis effingeret*, &c. Paria habent Annales Francorum â P. Pithæo editi. *Reges quidem dicebantur, ſed poteſtas Regis tota apud Majorem domus habebatur*, excepto, quod

quod Charta & privilegia, Regis nomine scribebantur, & in Martis campum, qui Rex dicebatur, plaustro bobus trahentibus vectus, atque in loco eminenti sedens, semel in anno à populis visus, publica dona solenniter sibi oblata accipiebat, stante coràm Majore domus, & quæ deinceps eo anno agenda essent, populis annuntiante. Sicque Rege domum redeunte, cœtera regni negotia Major domus administrabat. Hactenus Annales. Inde non tantum ea quæ ad Antiquitates Francicæ gentis pertinent, sed & quam arctis limitibus Regum iis temporibus, constricta potestas fuerit, satis patent. addatur *Hornius*. Orb. Imp. p. 116. Plura de Majoribus Domus legi possunt apud *Boxhorn*. Hist. Un. p. 457.

IX.

CONSTANTINUS COPRONYMUS.

Cur ita dictus?

Quia ventri excrementis baptismi aquam polluit, κόπρος

 ster-

ſtercus, & ὄνομα nomen, ho
ei cognomen dedit.

X.

Quid factum ſub eo?

Metuens ſibi ab Aiſtulpho Longobardorum Rege Stephanus II. Copronymun rogat, ut ſuis copiis part Romani imperii, quæ non dum Longobardos Domino agnoſceret, ſuccurreret. Cun verò illius auxilia impetrar haud poſset (a), ad Pipinun (b) Caroli Martelli filium Francorum Regem confu giens, per ipſum conſervar ac defendi voluit.

(a) Cauſas denegati auxilii has ac fert *Lipſtorp.* Form. Mon Pap. c. 26. n p. 125. vel *quod nulla ſpes eſset, ut Conſtan tin*

tinus jura imperii, quæ in Italia residua erant, â Longobardis invasa, defenderet; vel quia sub idem tempus, Asia cum Saracenis vehementer conflictabatur; vel quia pestifera lues Constantinopoli graviter & horribiliter debacchata est; vel quia Imperator non erat propensus Romano Pontifici, quod antea, se spreto, â Franciæ Principibus, auxilium petierat.

(b) Qua occasione, Pipinus Franciæ regnum acquisiverit, vel ea propter scitu necessarium, quod Pontificii nimium quantum sibi hic blandiantur, ac si regna in solidum, per ipsos stare, cadere possent. Nempe, cum voluptatum illecebris irretiti Francorum Reges, imperii curam abjicerent, Pipinus, qui ex favore Francici populi fasces sibi promiserat, Childericum, ultimum Merovæorum, vitâ haud ex dignitate Regis actâ exosum reddere statibus, tentavit. Ea re studia Procerum magis magisque in Pipinum accensa, secum quidem illi regnum decrevêre, sed juramenti religione, qua devincti Childerico tenebantur, impediti, quâ viâ rem aggrederentur, non ita facile

cile inveniſsent, niſi apud Pontificem ſolvendum jurisjurandi nexum, Pipinus (cui enim deſunt callida conſilia, qui imperii cupidate trahitur?) oſtendiſset. Statim itaq; Legatos miſerunt ad Zachariam, *qui*, ut loquitur *Sigonius*, l. 3. de R. J. p. 74. *regnum Chilperico, ut parum idoneo, abrogavit, & Francis Sacramenti religione ſolutis, ut Pipinum Regem ſubſtituerent, Author fuit. Quo decreto accepto Franci convenerunt, ac Chilperico abdicato, Pipinum Regem conſentientibus omnium voluntatibus deſignarunt, eumque Sueſsione, per Bonifacium Moguntinum Archiepiſcopum, conſecrarunt. Chilpericus regno pulſus, in monaſterium eſt conjectus.* Atque ſic familiâ Merovæorum in Childerico clauſa, altera Carolidarum celebrior priore in Pipino exorta eſt. Utrum verò ex *argumento facti* Pontificii firmiter deducere queant *jus* ſe habere mutandi regna, nemo Francorum id temporis facile conceſsiſset, nec hodie Galli, nec quisquam alius niſi juris omnis ignarus, admittet. Videantur interea *Arniſæus* de Translat. Imperii c. 7. n. 4. p. 195.

p. 195. *Lehman.* Chron. Spir. l. 3. c. 22. p. 127. *Hottom.* in Franco Gall. c. 16. *Marsilius Patav* de translat. 1. c. 6.

XI.

Annuit ne precibus Stephani Pipinus?

Utique; sed tandem â Pontifice circumventus, Exarchatum illi Ravennatensem, cum Pentapoli, contradicente licet Constantino Orient. Imperatore, donat.

Copiose satis quæ in hanc rem faciunt, omnia exponit *Lehm.* l. c. c. 24. p. 231.

XII.

Ergonë sublatus jam erat Exarchatus?

Omnino sublatus erat, ab Aistulpho Longobardorum Rege, ex quo annos 185. duraverat.

Legendus hîc *Sigonius* l. 3. de R. I p. 75.

XIII.

Quid amplius factum?

Carolus M. Desiderium Longobardarum Regem ultimum (a), regno exuit, Pipinique Parentis donationem confirmat,

(a) Præclare adeo eo ipso de sede B. Petri meritus est Carolus M. ut ab Hadriano Pontifice, Patritiatus dignitatem, cum jam ante esset Franciæ ac Germaniæ Rex, obtinuerit. Rem ita refert *Marsil. Patav.* de Translat. Imperii. c. 8. *Hadrianus beneficiis temporalibus Principis allectus, 153. Episcoporum & Abbatum Romæ concilium congregavit: ibique cum universa Synodo, glorioso Principi Carolo, Regi Franciæ, jus & potestatem tribuit elegendi Romanum Pontificem, & sedem Apostolicam ordinandi, dignitatem quoque patriciatus eidem concessit, qua olim quasi pater Principum videbatur.* Paria habet Sigb. ad Anno 773. & ipsa Bulla Hadriani I.

ni I. apud *Goldastum* Constit. Imp. Tom. I. p. I. Quid verò nomen *Patritiatus* in Carolo M. significarit, omnium optime explicat *Conringius*, Dissert. de Imp. Rom. Germ. §. 27. *Fuit*, inquit, *quidem Patritii nomen non nisi dignitatis titulus, à Constantino M. institutus, teste Zosimo l. 2. qua de re plura. l. 12. Cod. Just. tit. 3. l. d. In Carolo tamen videtur hoc nomine ipsa Exarchalis potestas significata.* Addatur & *Kipping.* in animadvers. contra Aubri. p. 168.

LEO IV.

XIV.

CONSTANTIN. VII. ET IRENE.

Bene inter filium & matrem convenit?

Intestinâ fraude regnum sibi vindicans Irene, perfidiæ crudelitatem addit, filiumque excœcari curat. Illo tandem

quinquiennio poſt extincto ipſa ſummæ rei præfuit

XV.

Stetit ne à partibus Iconomachorum Conſtantinus?

Non, ſed potius priſtinæ reſtituere dignitati imagines cogitans, concilium, ſed falſo Oecumenicum dictum, VII. Niceæ inſtituit, cui CCCLXVII. Patres interfuere.

Conſtantini, & Irenes, ad Hadrianum Papam Epiſtolam, qua eum de concilio celebrando certiores reddidere, exhibet *Goldaſtus* Tom. 3. Conſt. Imper. p. 651.

XVI.

Quid, cum ſola imperat Irene, egit?

Firmandæ ſuæ potentiæ remedium, callido conſilio in conjugio filii, & filiæ Caroli M.

li M. quærit; ſed (a) dein re altius ponderata, aliam uxorem filio obtrudit.

(a) Cauſam, cur mentem mutarit, hanc reddit *Zonaras* Tom. 3. p. 88. *Ea affinitate omiſsa ex metu, & imperii cupiditate, ne filii opes Francorum neceſsitudine augerentur, ex Oriente puellam accerſivit.*

XVII.

Habuitne Carolum M. ſibi faventem?

Pacem ab ipſo per Legatos petit & obtinuit, eamque ipſe Imperator in uxorem duxiſset, niſi Ætius has nuptias impediviſset.

Qui accuratius Hiſtoriam Conſtantini & Irenes noſse cupit, eam optime â *Zonara* traditam Tom. 3. l. c. inveniet.

SECUL.

SECUL. IX.

I.

Qui sunt Seculi hujus Imperatores?

Decrescente Orientalium Imperatorum potentiâ, rursus Occidens caput exerere cœpit. Hujus itaque Imperatores fuere. 1. Carolus M. 2. Ludovicus Pius 3. Lotharius I. 4. Ludovicus II. 5. Carolus II. Calvus. 6. Carolus III. Crassus. 7. Arnulphus.

Carolus antiquis Francorum regibus ortus
sceptra gerit, virtus dedit huic cognomina *Magni*.
Magna, Patris magni, soboles *Ludovicus* habenas
suscipit, & post hunc *Lotharius*. Huic Monachorum

claustr

clauſtra placent. *Alter Ludovicus* ſceptra parentis
tractat; ſed periit per toxica pharmaca *Calvus*.
Carolus aſt *Craſſus* regno ſpoliatur; & illud
ſuscipit *Arnolphus*, fuerat, qui vermibus eſca.
Sed Græci reſtant, Irene en regna orientis
tractat. *Nicephorus*, *Michael*, *Leo* cepit honores
imperii *Armenius*, *Balbus*, *Leo* ſanguine vitam
claudit, & hinc ſumit ſibi ſceptra *Theophilus* hæres.
Filius huic *Michael Sævus* ſucceſsit, & illum
Baſilius Macedo excepit. Poſt quem *Leo*, dictus
Philoſophus, graviter Saracenum pugnat in hoſtem.

II. *Quo*

II.

Quos Parentes habuit Carolus M.?

Parens ejus fuit Pipinus Rex Francorum, mater Bertha, Heraclii Imperat. filia.

Quis locus nativitatis Caroli M. res solido destituitur fundamento. De eo sane constat ex *Brovvero* in Antiquitatibus Fuldensibus, quod *terram circa flumen Unstrut*, conceptionis suæ terram Carolus M. agnoscat. v. *Rupertus* in Besoldum p. 597. & *Lipstorp.* form. Monarch. Pap. part. 2. c. 30. p. 175. Ast quod & ibi vitalem aspexerit lucem, temere nemo facile adseret. *Cuspinianus* in vita Carol. M. *Ingelheimium* nativitatis locum putat, eumque plurimi magno numero sequuntur. Interim, quî omnium optime diversa sentientes conciliari queant, ostendit *Sagittarius*, in diss. de Carolo M. memb. 2. §. 4. cujus mens brevibus hæc; *ante bellum Bojaricum, conceptio Caroli M. facta in confiniis circa flumen Unstrud. Bello inchoato natus*

natus est Carolus M. Carlsburgi juxta Aventinum. Confecto bello Ingelheimii educatus creditur.

III.

A quo educatus est?

A Petro Pisano, & Albino Alcuino: quorum ille linguarum peritia; hic verò eloquentiæ præceptis siderumq; scientia animum ejus imbuit.

IV.

Quando factus est Imperator?

Occupata armis (a) Italia, & urbe Roma, destructo Longobardorum Regno, â Leone III. Pontifice, die natalis Christi. Anno 800. consensu P. R. in æde D. Petri, Imperator (b) & Augustus renunciatus est.

(a) Diversa enim esse, Italiæ & Romanum

manum imperium luculenter ostendit illud, quod Romani in provincias Italiæ sibi ereptas, ante Carolum M. nullum jus habuerint v. *Conring.* Tr. de Germ. Imp. Rom. c. 4. 5. 6. *Burgold.* part. 1. disc. 4. p. 167. Instr. Pacis.

(b) Antequam Imperatorius, Carolo M. titulus est collatus, non tantum Franciæ Rex erat, sed & obtinebat pleraque occidentalis imperii, exceptis urbe Roma, Exarchatu Ravennatensi, iisque quæ Pipinus & Carolus Longobardis ereptis, Pontifici donârant. Unde non immerito quæritur, *quid ergo titulo Imperatoris consecutus sit?* Satisfaciet verò hic rursus Summus *Conringius* dissert. de Rom. Imperat. §. 28. *Per Imperatorium titulum,* inquit, *illi (nempe Carolo M.) collatum jus omne in urbem, R. Pontificem, Exarchatum Ravennæ, & alia oppida quædam extra Longobardici regni fines posita, quæ fuerunt Cæsarum usque ad solennem illam rebellionem, qua Gregorio II. Papâ, superstites imperii Romani reliquiæ, â Leone Isauro, & sequutis Constantinopolitanis Cæsaribus defecerunt.* Addatur

Paci.

Pacificus à Lapide ad Monzam. p. 204. & c. 7. jam ante cit. Tr. de Imperio Germ. ubi prolixius deducitur *hæreditarium dominium titulo Imperat. in Carolum M. collatum.* Huic tamen ſententiæ, non levibus rationum momentis obſtãtibus, ſe aſsentiri non poſse, fatetur *Nicolaus Mart.* Prof. Kil. in Libertate Aquilæ triumph. c. 3. §. 7. p. 49. ſeqq. Sed hæc diſceptare jam hujus non eſt fori.

V.

Cum quibus bella geſsit?

Plurima, quorum omnium tamen, quod 32. duravit annis, graviſsimum Saxonicum, cum (a) Wittechindo Saxonum Rege, aliisque illius ſubditis, quem victum, ut Chriſto (b) nomen daret, coëgit.

(a) Jam equidem Maximiani temporibus, Saxones innotuerunt, celebritate tamen nominis, dum demum, cum victricibus Caroli M. armis, cum Rege ſuo Wittichin-

Wittichindo, Saxonicæ domus conditore, ad Christianam fidem conversi sunt, inclaruêre. Illi autem, qui Wittechindum ab Anno Christi 629. præcessêre, sunt sequentes; *Bertholdus*, *Sighardus*, *Dietericus*, cui tres filii, *Edelhard*, *Barthold* & *VVernekind*. Maximus stirpis *Edelhard*, parente mortuo, regnum suscepit, qui, & antequam ipse diem obiisset suum, fratrem natu minimum *VVernekindum*, Saxoniæ regem dedit. Is verò Wernekindus, primus, qui ducis titulo imperium tractavit, fuisse traditur. Uxor illi erat Cunigunda, quæ eum unius filiæ, & duorum filiorum *VVettekind & Brunonis* parentem fecerat. Hinc cum & fato functus esset, fasces *VVittekindus* accepit, qui jam Ducis, jam Regis titulo, apud scriptores, clarus. Regem eum fuisse, testimonio suo Reinerus Reineccius Comment. de Saxon. p. 15. confirmat his verbis. *Vendico igitur imperatoribus istis uti potestatem, ita & nomen regium. Estque hinc, quod Cosmodromion, non modo VVidekindum Magnum, verum etiam Edelhardum, Reges nuncu-*

nuncupat. Addatur Chron. Montis-Sereni. p. 26. & 45.

(b) In hoc bello Saxonico, (cujus causas ex Politicis rationibus ostendit *Pacif. à Lap.* ad Monzamb. disc. 5. p. 119.) Anno Christi 772. destructum etiam *Irminsulæ* est *idolum*, *fani Eresbergi*, cujus demolitione totum triduum, magnâ operâ exercitus, est consumtum. Quid ibi memoratu dignum acciderit, recenset *Meibomius* c. 7. Tr. de Irminsula Sax. p. 43. Cœterum de finito hoc bello, ita Eginhardus. p. 101. *Ea conditione à Rege* (Carolo M.) *proposita, & à Saxonibus suscepta, tractum per tot annos bellum, constat esse finitum, ut abjecto Dæmonum cultu, & relictis patriis ceremoniis, Christianæ religionis sacramenta perciperent, & Francis adunati, unus cum eis populus efficerentur.* Ipse Wittekindus non procul ab urbe Padeborn baptizatus, â Carolo M. titulum Ducis Saxoniæ, & Principis imperii accepit.

VI.

Quid in Ecclesiasticis præstitit?

Inter alia in Concilio (a)

Franco-

Francofurtensi, Anno Christi 794. antequam Imperator factus esset, Imaginum cultus est sublatus; Pericopæque Evangelicæ (b), Patrum Homiliis, jussu illius, â Paulo Warnefrido sunt illustratæ.

(a) Non tantùm in hac Synodo, cultus imaginum superstitiosus & idolatricus sublatus est, sed & insuper de controversia inter Felicem Urgelitanum, illiusque asseclam Elipandum Toletanum, Episcopos, & Adrianum I Pontificem orta, actum est; quam quidem causam accuratius excussit, triga Theologorum, *D. Calixtus*, Programmate tr. de Pers. Christi, addito. p. 96. *D. Johannes Tobias Major*, dissert. de Filiatione Christi, ut Hominis. *D. Dorschaus* in collat. ad Concil. Francofurd. Ipsam autem Caroli Constitutionem, contra Felicem & Elipandum, exhibet *Goldastus* Tom. 1. Const. Imperial. p. 2. & rescriptum de non adorandis imaginibus Tom. 2. p. 2.

(b) Ab

(b) Ab aliis, ipſa Pericoparum Evangelicarum, quibus hodie utimur; diſtributio, *VVarnefrido* adſignatur, & in his etiam eſt *Sixtinus ab Amama*, qui eapropter acerbe in Warnefridum invehitur. Verba ejus adferre, operæ pretium. Ita autem in Orat. de Barbarie, Antibarb. præmiſsa. *Anno Chriſti* DCCCVIII. *Paulus VVarnefridus Caroli M. juſsu textus Dominicales ex Epiſtolis & Evangeliis excerpſit, judicio adeo nullo, ut eorum quidam, nec caput, nec caudam habeant. Namque inſtar imperiti lanionis ſecuri ſua anatomica, non in ipſas articulorum juncturas, ſed in ipſa oſsa, prout imperita manus ferebatur, impacta, divulſit ea, quæ ſeparari neutiquam permittebat textus. Et p. p. Ipſis miniſtris mollem pigritiæ lectum hoc compendio adornavit Satanas, multosque è populo in eam traxit ſententiam, iſtis fragmentis univerſam ſcripturam contineri.* Iniquior hæc cenſura, quæ in Warnefrido, aliorum induſtriæ, nigrum theta præfigit. Si enim verum, quod *Crojus* obſervat. Sacr. & Hiſt. part. 1. c. 4. & 6. docet, jam ævum Apoſtolicum,

cum, Novum fœdus in certas pericopas distinctum, vidisse, quarum quædam certis diebus solennes fuére, teste *Augustino* Serm. 2. in die Pentec. utique non primus earum author Warnefridus, nec ea propter etiam culpandus. Primum autem eum non fuisse, vel ex eo verisimile adparet, quod & *Musæus Marsiliensis* Anno Christi 441. operi huic manum admoverit. Quid? quod & Seculo VI. Gregorii M. temporibus illa distributio Evangeliorum obtinuerit. Veritati ergò conveniens magis illorum opinio, *qui Pericoparum Evangelicarum distributionem antiquiorem esse autumant, quam ut ad Caroli M. tempora referenda sit*, ac insuper *primum Postillatorem VVarnefridum constituunt*. v. Exc. *Hildebrand.* dissert. de Veterum Concion. c. 3. §. 26.

VII.

Quæ porro scitu digna sunt Caroli M. gesta?

Inter alia Æternam illius memoriam commendat & illud,

illud, quod ab eo λείψανα id est reliquiæ (a) nostris Imperatoribus fuerunt relictæ.

(a) In bulla, quam Martinus V. Secul. XV. sub Sigismundo Pontifex Romanus, inclutæ Reip. Noribergensi concessit, hæc numerantur 1. *pars vivificæ crucis*, 2. *lancea*. 3. *Clavarum Christi unus*. 4. *Particula præsepis*. 5. *Brachium S. Annæ*. 6. *Particulæ quædam catenarum S. Petri & Pauli*. 7. *Tunica Johannis Evangelistæ*. 8. *Dens Johannis Baptistæ*. Et hæc, *ut Noribergæ perpetuo, venerabiliter conserventur*, ipse Pontifex, qui falli & fallere non vult, statuit.

VIII.

Vixeruntne & Viri Clari sub Carolo M.?

Præter alios floruêre, (a) *Eginhardus*, omnium Germaniæ Historicorum vetustissimus, *Alcuinus* Anglus, non Bedæ, sed Egberti Archiepis-

K copi

copi Eboracenſis diſcipulus, Caroli M. Præceptor primùm, dein ei â Conſiliis Sanctioribus, *Paulus Diaconus*, *Paulus Warnefrid*, Deſiderii Longobardorum Regis Cancellarius, *Paulinus* Aquilejenſis Epiſcopus, & *Uſuardus* Monachus cœnobii Fuldenſis. In Oriente verò celebris fuit *Theodorus Studita* & *Nizephorus* Conſtantinopolitanus.

(a) Audit plerisque Caroli gener. Sed *Boëclerus* Hiſt. Sec. 9. p. 5. Baronium ad Annum Chriſti 805 fabulæ huic, quam & *Lipſius* l. 2. Mon. Pol. c. 12. n. 12. p. 174. addidit, larvam detraxiſse putat. Ipſa ſane Eginhardi verba, quid veri adverſæ opinioni inſit, ſatis oſtendunt. *Nullam* inquit, *filiarum cuiquam aut ſuorum aut externorum nuptum dare voluit, ſed omnes usque ad obitum ſuum, in domo ſua retinuit: dicens ſe earum contubernio carere non*

non posse. v. & *Malinkrot.* de Archicanc. p. 11. Pluribus de Eginhardo agit *Vossius* l. 2. de Hist. Lat. c. 33. Cœterum vitam Caroli M. ab Eginhardo scriptam, suæ de Carolo M. Historiæ, addidit *Franzius*, quæ Anno 1644. Argentinæ publicam lucem adspexit.

IX.

Anne & fautor studiorum fuit?

Cum magnifaceret artes liberales, consilio Alcuini, suis impensis publicum literarum mercatum Lutetiæ Parisiorum Anno Christi 791. instituit.

Quibus studiis Schola Parisiensis crevit, latius deducit *Conringius* dissert. 1. de Antiquit Acad. p. 44. & 74. seqq.

X.

Quando obiit?

Rebus omnibus ex senten-

tia compositis, obiit (a) Aquisgrani, An. ætatis LXXII. A.C. 814. cum Rex (b) Francorum fuisset XLVII. Italiæ XLII. Imperator XIV. annis.

(a) Maxime in deliciis urbs hæc Carolo, cujus gladium & librum Evangeliorum asservat, fuit; unde factum, ut & in ea magnifico sumtu palatium exstruxerit, eamque primariam Teutonici regni sedem constituerit. Ipsam Imperatoris constitutionem *Goldastus* Tom: 2. Const. Imper. p. 8. refert, in qua, cum de ipsius urbis nomine nonnulla scitu digna recenseantur, ea hic transcribere, pretium operæ. Verba itaque Caroli hæc sunt. *Nostis qualiter ad locum, qui* AQUIS, *ab aquarum calidarum aptatione traxit vocabulum, solito more venandi causa egressus, sed perplexione silvarum, errore quoque viarum, â sociis sequestratus veni, termas calidorum fontium, & palatia inibi reperi, quæ quondam* GRANUS, *unus de Roma-*

Romanis Principibus, frater Neronis & Agrippæ, à principio construxerat, quæ longa vetustate deserta, ac demolita frutectis quoque ac vepribus occupata, nunc renovari, pede equi nostri, in quo sedi, inter saltus, rivis aquarum calidarum perceptis & repertis. Sub finem fere hujus Constitutionis, hæc leguntur. *Lætetur igitur, & exultet, ineffabili gaudio Aquisgranum, caput civitatum, venerabilis clerus, cum devotissimo populo, quod in diademate Regni aliis Principibus & gloriosis locis speciosissimo ornamento distinctis in capite coronæ positum, quasi prælucidarum gemmarum splendore corruscat, & illo singulari & corporali gaudet Patrono, qui Christianæ fidei illustrationes & legis, qua unusquisque vivere debeat, Romanum decorat imperium. Hoc est enim mutatio dexteræ Excelsi, quod pro Grano fratre Neronis, fundatorem habet sanctissimum Carolum, pro pagano & scelesto, Imperatorem Catholicum.* Præter Aquisgranense verò palatium, cum & alibi, nempe Ingelhemii, Neomagiæ & Moguntiæ ad Rhenum, aliqua sibi Carolus M. exstruxerit, neu-

trum tamen horum, nisi solum Neom
gense, proximum dignitate Aquisgr
nensi fuit. De palatio autem Spiren
videndus *Lehm.* Chron. l. 3, c. 33 p. 25

(b) Sub Carolo M. regnum Franci
florentissimum fuit, sed ab obitu ejus n
mium quantum, ob crebras division
decrevit. v. *Hornius* Orb. Imp. p. 12
Unum adhuc temporibus Caroli M. a
dendum, illud nempe, quod A. C. 80
Canonizatio Pontificia, ἀποθεώσεω
Ethnicæ, â *Herodiano* l. 4. *Kirchm.* d
fun. Rom. l. 4. c. 13. & 14. *Blondo* l.
Romæ triumph. *Savilio* in Tacitum,
56. *Masen.* Pal. Styl. Rom. l. 4. c.
quantum satis est descriptæ, proles, orig
nem suam sumserit. Siquidem Leo II
Imperatoris ipsius rogatu, Sucbertu
Catalogo Sanctorum, solenni ritu a
didit.

XI.

LUDOVICUS PIUS

Quis successit Carolo M.?

Filius Ludovicus Pius.

De electione Ludovici ita loquit

Egi

Eginhardus. Extremo vitæ tempore, cum jam morbo & senectute premeretur Carolus M. evocatum ad se Ludovicum Aquitaniæ Regem, qui solus filiorum Hildegardis superat, congregatis, solenniter, de toto regno Francorum primoribus, cunctorum consilio, consortem sibi totius Regni, & imperialis nominis hæredem constituit, impositoque capiti ejus diademate, Imperatorum & Augustum jussit adpellari. Nihil ex his de Electorum Origine extorqueri potest. Unde adparet quam falsus sit *Magister Jordanus*, qui in Chronico suo, apud *Simon Schard*, Electorum originem, ab ipso Carolo M. arcessere non dubitavit.

XII.

Felixne ejus fuit imperium?

Non, nam à filiis regno turbatus; sed tamen ei restitutus est.

XIII.

Qui verò fuere filii Ludovico?

Fuit trium filiorum, ex Her-

mingarde, filia Ingrami, ducis Saxoniæ, parens, nempe, Lotharii, Ludovici; & Pipini. Ex altera verò conjuge Juditha, filia Welfonis, primi comitis Altorfensis in Suevia, unum filium Carolum sustulit.

Fratres hi Francorum regnum, quod Germaniæ, Franciæ, Italiæ regnum, Romamque complectebatur, inter se partiti, Francicam eo ipso potentiam pessum dedere v. *Burgold.* ad Instr. Pacis, disc. 5. part. 1. p. 176. *Lehmann* Chron. Spir. l. 2. c. 46. p. 199. Ex hac autem divisione originem porro traxit regnum Germaniæ. Hujus primus Rex Ludovicus, alter Pii filius, (quo de videndus *Matth.* Theatr. p. 846.) cujus quanta fuerit potentia & Libertas, docet *Trithemius* Abbas Spanhemensis, & Würtzburgensis, in annalibus Francorum, cujus verba digna sunt, quæ huc adferantur. Ita autem ille; *Regnum Francorum*

Ger-

Germaniæ, perpetuò per se habet proprium Regem, nulli penitus mortalium, ne quidem Romano imperio subjectum, sed pristina consuetudine Francorum liberrimum. Regnum quoque Francorum Gallorum, à nostro divisum, simili modo regem, uti constitutio sonat, proprium habet liberum, qui non minus quam Rex Germaniæ liber sit, & nulli omnino subjectus. Manifestum enim est, quod Franci ab origine semper fuerunt liberrimi, & neque Romanis, neque alteri alicui certe unquam servierint, aut extiterint subjecti. Quin potius, ipsi destruxerunt Romanorum imperium, sibique fecere subjectum. Hæc Trithemius. addatur *Conring.* de fin. Imp. c. 3.

XIV.

Quæ causa, quod filii adversus eum insurrexerint?

Præcipua erat, quod nimio in Lotharium cœterosque filios affectu abreptus, cum biennio præfuisset, illum consortem imperii adsumserit, reliquis vero regna dedisset.

Nempe, non bene cum socio regna Venusque manent, quod suo malo sensit tandem optimus Imperator: *divisa enim Imperatoria auctoritate in duos, animi simul civium ac populorum distracti sunt*, inquit, *Bœcl.* Sec. 9. p. 53. adde *Lehmann* Chron. Spir. l. 3. c. 35. p. 252. Quam verò omnes, qui filiis Authores fuêre, ut regno summum per scelus parentem exuerent, facti pœnituerit, recenset *Kipp.* l. 9. Hist. Univ. c. 1. dist. 2.

XV.

Cum ergò neglexerit interesse imperii Ludovicus, anne illud in rebus Ecclesiasticis observavit?

Accuratè, ne quid Ecclesia detrimenti caperet, illum attendisse, indicio est, quod (a) sacrum ordinem, in ordinem redegerit, Synodumque A. C. 825. Parisiis congregarit, in qua conclusum, memoriæ causa imagines habendas esse.

(a) Ex-

(a) Extat ea de re Epiſtola illius, ad Arnonem, Saltzburgenſem Archiepiscopum, apud *Goldaſtum*, Conſtit. Imper. Tom. 1. p. 12. de qua & *Cuſpin.* p. 230. audire non absre. *Animum ad Sacerdotalem faſtum corrigendum adjecit, condito Codice de ordine & ritu Eccleſiaſtico vivendi: quem per omnia ſua regna juſsit circumferri. In quo clericis ac ſacerdotibus coccinei coloris veſtes precioſæ ac ſericeæ interdicebantur, ne purpurati, neve bracteati, gemmisque annulisque redimiti muliebri more (ut nunc fit) incederent. Quod tam hodie eſset neceſsarium, quàm utile, cum tanto luxu ſacerdotes incedant, ut vix annui cenſus unius magni ſacerdotii, in veſtium abuſum ſatis ſit, atque ideo Sex ſeptemque ac plura habere ſacerdotia ſit perneceſſe.* v. & *Conringius*, de Orig. J. G. c. 15.

XVI.

Recenſe & Viros temporibus Ludovici celebres?

Claruit *Rabanus Maurus*

Abbas primùm Fuldensis, deinde sub Lothario Archiepiscopus Moguntinus, qui scripturam universam commentariis illustravit, *Walafrid Strabo*, glossæ ordinariæ ex Patrum scriptis collectæ author: *Nithardus*, Bertha Caroli M. filia natus, & *Amalaricus* Trevirensis Episcopus, celebris rituum Ecclesiasticorum scriptor.

XVII.

LOTHARIUS.

Quis successit Ludovico?

Lotharius filius, A. C. 840. qui in tres filios Ludovicum, Lotharium, & Carolum regnum Franciorum divisit.

Gothofredus, Presbyter Viterbiensis, qui sub Conrado III. & Friderico I. vixit. de hac divisione hæc commentatur.

Lotha-

Lotharius Imperator, tribus filiis suis, regnum, quod eum contigerat, partitur. Ludovico Italiam, cum nomine Imperatoris, Lothario Lotharingiam, Carolo provinciam tradens. Ipse vero, ordinatis omnibus, in Prumiensi monasterio, decimo Sexto sui imperii anno, post mortem Patris, Monachus efficitur. Notanter dein sequentia sed dextre intelligenda, addit. *Vide, ad quantum defectum Romanum imperium devenerit, scilicet, ut in tres partes, diviso regno Francorum tertiæ partis, tertia pars esset ejus imperium.* Sed ut historia horum temporum melius intelligi posſit, Ludovici, quorum crebra in hoc Seculo mentio, diſtinguendi. Primus ergo horum eſt filius Caroli M. paterni imperii ſucceſsor, de quo ſupra q. 11. actum. Huic ejusdem nominis quoque filius, ſed non Imperator, verum primus ſaltim Germanici regni Rex, quo de videnda Obſerv. ad q. 13. Ludovico Germanico Regi, qui temporibus Imperatoris Caroli Calvi diem obiit ſuum, rurſus tres erant filii, Carolomannus, Ludovicus, & Carolus Craſsus. Ex his medius

dius Rex Thuringiæ fuit, qui cum fratre Carolomanno decedens, fratrem Carolum Crassum Imperatorem, regnorumq; omnium hæredem habuit. Porro Lothario quoque tres erant filii, Ludovicus, Lotharius & Carolus, quorum illi, stirpis maximo, regnum parentis cessit, ac Imperator factus, Ludovicus II. in ordine Imperatorum est. His ita Constitutis, accuratius & res Ludovicorum, Germanici nempe Regis, & Ludovici II. ejusque fratris, inter se distingui potерunt, quas tamen confusas esse, conqueritur Cuspinianus.

XVIII.

Fuitne felix ejus imperium?

Suo jumento malum sibi attraxit, dum adversus fratres suos Ludovicum & Carolum, bellum gerit, à quibus tamen alterâ vice victus.

XIX.

XIX.

Diune imperio præfuit?

Poſtquam annis 15. præfuiſset, ſex ante obitum diebus, diſtributa filiis hæreditate, in (a) Prumienſe monaſterium, à ſe fundatum, discesſit.

(a) De hoc monaſterio ita ſcribit *Cuſpin.* in Lothar. p. 240. *Eſt id cœnobium in Lotharingia, ordinis S. Benedicti, quod aliis Pruliacum dicitur: unde erat Abbas ille Regino, qui annales ex fide ſine verborum lenocinio ſcripſit.* Cœterum de Lothario, qui Lotharingiæ, antea Auſtraſiæ dictæ, teſte *Reginone*, & *Cluverio* l. 3. introd. Geogr. c. 9. nomen dediſse dicitur, (quanquam filio illius id adſignet *Petavius* l. 8. c. 10. Rat. temp. p. 494.) ita judicat *Sigonius*, l. 5. de Regno Italiæ p. 124. *Hic eam vitæ varietatem attulit, ut meliorne an deterior fuerit, dijudicari non poſsit, niſi quod mortis honeſtas, omnem delere vitæ turpitudinem potuit.* Sub ejus impe-

imperio Pontificiam ſedem Johannem, ſexum virilem mentientem fœminam, occupaſſe, plurimis in quibus & *D. Calixtus*. Tr. de Conj. Cler. p. 338. ſeqq. certum videtur. Negat tamen omnem hiſtoriam *Baronius*, cui & vir Doctisſimus *David Blondellus*, (in quo refutando oleum & operam *Samuelem Mareſium* perdidiſſe, Anonymus apud *Curcell.* diſſert. de quat. quæſt. judicat p. 435.) accedit. Falſo verò & fruſtra id negari, inſigni authorum catalogo evincere conatur Hiſtoria Johannis VIII. quæ Anno hujus Seculi LXII. Helmſtadii prodiit & *Dietericus* Hiſt. Pont. p. 154.

XX.

LUDOVICUS II.

Cui demortuo Lothario obtigit imperium?

Filio illius Ludovico II. ex Hermingarde primogenito.

XXI.

XXI.

Quid gestum ab eo?

Saraceni Italiam, (quam cum (a) Imperatorio nomine hæreditate acceperat,) invadentes ab eo expulsi.

(a) v. hic *Lehmannus* Chron. l. 2. c. 46.

XXII.

CAROLUS CALVUS.

Quis fuit?

Fuit filius Imperatoris Ludovici I. Pii, Ludovici Germaniæ Regis frater.

XXIII.

Qua ratione ad imperium pervenit?

Artibus Johannis VIII. Pontificis, Romæ consecratus est

est Imperator, dein ab optimatibus electus est in Regem Italiæ.

Diminuta quidem, est paulatim per Johannem VIII. succesſio imperialis dignitatis, quicquid tamen & sic Pontifex facere potuit, non solus, sed cum consensu S. P. Q. R. præstitit. Docent idipsum ipsius Papæ verba, *Baronii* annalibus inserta ad Annum 877. quæ hæc sunt. *Elegimus merito, & adprobavimus unà, cum annisu, & voto omnium fratrum & eo Episcoporum nostrorum, atque aliorum S. R. Ecclesiæ ministrorum, amplique Senatus totiusque Romani Populi, gentisque togatæ, & secundum priscam consuetudinem, solenniter ad Imperii Romani sceptra proveximus*, &c. Licet verò Calvus â Papa Romam sit evocatus, eum tamen muneribus in suas partes pertraxit, fatente id *Reginone*, cujus verba recitat *Conringius* de fin. Imp. Germ. c. 9. p. 78. ipse *Sigonius* l. 5. de regno Ital. hoc non diffitetur, quem loquentem in hoc negotio audire res ipsa exigit. *Calvus*, inquit, *domesti-*

domesticis nullis detrimentis, â proposito suo dimotus, maturato itinere in Italiam venerat; atque Italicis plerisque in ditionem acceptis, Legatos ad Pontificem cum muneribus eximiis miserat, per quos si corona donaretur, se Ecclesiam in perpetuum, â quibuscunque hostium injuriis defensurum, & Romanam ditionem, penitus remissurum ostenderat. Itaque Johannes, ut Romanos repudiavit, sic Calvum, ut Romam ad Coronam accipiendam contenderet, invitavit, & cum XVI. Kal. Jan. urbem iniisset, solemni civitatis occursu exceptus, die Domini Natali, in basilica Vaticana ante confessionem de more Augustum consecravit, sanctissimo ante jurejurando devinctum, se adversus inimicos Ecclesiæ, perpetuo Pontifici pro viribus affuturum. Quo facto Carolus multa, eaque pretiosa S. Petro dona tulit. Hinc titulus Imperatoris Augusti posthac sincerum Pontificis beneficium esse, annique imperii â consecratione Pontificia repeti cœpti.

XXIV.

Quid fecit?

Inhiabat parti Ludovici

Germanici, eique Italiam, Galliamque Narbonenſem præripuit, (a) Boſonem, Richildis uxoris ſuæ fratrem, ibi Regem conſtituens.

(a) v. *Conring.* de fin. Imp. Germ. c. 12. p. 156. *Bœcl.* ſec. 9. p. 167.

XXV.

Numdiu obtinuit imperium?

Non; nam tertio imperii anno, nuncio adventantis Carolomanni exercitus perterritus, in morbum incidit, venenatâque potione, quam ei Sedechias Judæus, quo medico uſus eſt, dederat, extinctus eſt.

XXVI.

Quid alias circa tempora hæc contigit?

Godſcalci (a) de prædeſtinatione

natione errores, in Synodis Moguntina & Carisiacensi damnati.

(a) Fuit Godscalcus Monachus monasterii Orbei Ecclesiæ Rhemensis, cujus dogma ex Hincmaro recitat *Strauch*, dissert. de Prædestinat. §. 21. Non tantum verò, â Hincmaro & Rabano damnatus, sed & insuper virgis cœsus ac in carcerem conjectus est, in quo annos plusquam viginti detentus, diem obiit suum. Plura si quis de Historia illius desiderat, consulat *Vossium* Hist. Pelag. l. ultimo, & *Jacobum Usserium* Armachanum in Hybernia Episcopum, Tr. quem de Godscalco edidit.

XXVII.

CAROLUS CRASSUS.

Quem successorem habuit Carolus Calvus?

Carolum Crassum, Ludovici

vici Germanici Regis filium, in quo rursus tria Germaniæ regna coaluerunt.

Constituunt nonnulli successorem Ludovicum III. Balbum dictum. Enimverò quia neglecto Crasso, â solo Pontifice Johanne VII. in Gallia coronatus est, nec unquam regnum Italiæ obtinuit, hinc etiam Imperatoribus non annumerandus. Fatetur id: *Petavius* l. 8. Rat. temp. part. 1. c. 10. *Falluntur*, inquit, *qui Ludovicum Balbum Calvi filium Imperatoribus accensent. Errori causam dedit, quod a Johanne Papa, 7. Idus Sept. coronatus dicitur A. C. 878. sed Regia fuit hæc, non Imperatoria corona.*

XXVIII.

Qua fortuna usus est?

Ob animi corporisque valetudinem â proceribus depositus, in summa paupertate vitam transigit.

XXIX.

XXIX.

ARNOLPHUS.

Quid factum eſt in Italia, ex quo Carolus Craſſus motus eſt imperio?

Itali (a) ob varias turbas, imperium detulêre Arnolpho Carinthiæ Duci, cui tandem Formoſus Pontifex Romanus, Romæ coronam Imperatoriam impoſuit.

(a) Hactenus hæreditario jure â Carolo M. usque ad Arnulphum, Carolomanni filium, cum optimatium tamen conſenſu, ſucceſsere ſibi invicem in imperio Franco-Romano Imperatores; Sed cum extinctâ Carolinâ in Germania familia, Vido Franciæ, Berengarius Italiæ regnum ſibi deſpondere haud dubitasſent, diſcordiis tandem inter eos enatis, ille adverſus hunc Rex creatus, ac Italiæ ſimul Cæſareaque dignitas Francis erepta ad Peregrinos pervenit. v. *Burg.* ad Inſtr.

Pac.

Pac. disc. 9. §. 3. p. 238. Quid verò de his temporibus Italiæ sentiat *Sigonius*, hæc ejus verba l. 6. de regno Ital. p. 139. satis ostendunt: *seipsos* inquit *prorsus una cum Ecclesia perdiderunt, ea tempora in Remp. inferentes, quibus, nulla alia tetriora, ac fœdiora fuisse, vel principum nequitia, vel populorum insania, in tota antiquitate reperiuntur.*

XXX.

Quid gestum ab eo?

A Formoso Pontifice, cui Sergiani multa mala intulerant, ex Germania vocatus, (a) lepusculi ductu urbem Romam, Sergio expulso, complicibusque illius interemtis, capit.

(a) Ita nempe, cœleste illud numen, per causas medias varie nexas, sed nos sæpius latentes, omnia temperans suaviter, prudenter, utiliter, levissima nonnunquam, magnarum rerum occasiones esse

esse vult. Historiam ipsam hic adscribere, non ingratum fore autumo. Eam his verbis *Sigonius* l. 6. de R. I. p. 143. ad A. C. 896. recenset. *Dum urbs variis frustra perrumpendi conatibus sumtis obsidebatur, oblata est egregia, præter opinionem ipsius occupandæ, fortuna. Lepusculus forte inaudito ante exercitus clamore perterritus, ad urbem fugit, eumque militaris quasi ludi caussa, militum manus avide insequi cœpit. Quod ubi stationes videre Romanæ; re ignota, universis se peti viribus arbitratæ, metu repente de muris se projecerunt. Hac re conspecta, Germani locum sibi datum aggrediendæ urbis rati, subito sarcinas muris admoverunt, eisque ad justam altitudinem coacervatis, extemplo alii muros conscenderunt, alii portam ariete perfregerunt; atque urbem defensorum inanem aggressi, ut Transtiberini sese dederent, effecerunt.* Hactenus Sigonius. Simile quid refert ex Urspergensi *Camerarius*. part. 1. Op. subcis. p. 367. *Berneggerus* q. 150. in Tac. & *Antonius Bonfinius*. Dec. l. 2. de Hunnis, quibus cervæ vestigia, in Europam perveniendi, oc-

caſio fuere. His addendum inſigne illud (quod nemo unus ſine ingenti admiratione legit,) exemplum, Gontrani Regis Burgundiæ, apud *M. Claudium Paradinum* Symb. Heroic p. 233.

XXXI.

Cum quibus amplius bellum geſsit?

Cum Normannis, quos, prior ab illis victus, rurſus ſuperavit; eaque clades eos ad Chriſtianam fidem amplectendam coëgit.

XXXII.

Recenſe & alia quædam?

Ratisbonam Arnolphus reſtaurando ampliavit. Hungarique (a) in Germania his temporibus innotuêre; ac inſuper initium (b) Ducatus Burgundiæ ſumſit.

(a) Hunnos Scythicos populos, Hungaris

garis originem dedisse, una plerisque Historicorum mens. Ex quo verò in Europam, Pannonia occupata, imperioque novo constituto, penetrârunt, Hungarorum nomine eos adpellatos, verò non absimile videtur. Res eorum usque ad Carolum M. tenebris involutæ, Arnolphi temporibus, qui eorum auxilio adjutus Moraviæ Regem Zuentebaldum superavit, teste *Crantzio* l. 3. Sax. c. 2. p. 176. magis magisque in notitiam pervenere, Germaniaque deinceps, tamdiu hostes eos sensit, donec ab Henrico Aucupe, filioque ejus Ottone repressi, intra Pannoniam se continuerunt. v. *Emmius* Rerum Chron. l. 5. p. 200. *Hornius* Orb. Imp. Period. 3. Regni Hungariæ p. 73. & dissert. Pol. Hist. 21. de Hunnis.

(b) v. *Boxhorn.* H. V. p. 503.

XXXIII.

Qua morte obiit Arnulphus?

Vermes (a) ex capite illius enati, finem illi vitæ maturarunt;

runt; atque ſic cum illo Germanici regni reverentia concidit.

(a) Ita ſentit *Cranz*. l. c. alii Paralyſi, alii verò Phtiriaſi conſumtum dicunt. v. *Jonſthonius* Polyh. part. 4. l. 1. p. 95. Rurſus alii à Vidonis uxore, venenato poculo extinctum putant. *Latus* Comp. Hiſt. Un. p. 220. *Lehm*. l. 3. c. 48. p. 263.


XXXIV.

Sed quinam à temporibus Lotharii usque ad finem Seculi hujus Clari Viri vixerunt?

Floruere his temporibus præcipue *Hincmarus* Archiepiſcopus Rhemenſis, *Paſchaſius* Radbertus, Abbas Corbejenſis, *Ado* Viennenſis Archiepiſcopus, *Johannes Erigena Scotus*, graphiis à diſcipulis confoſsus, & *Regino*, ſub Arnolpho ad Abbatiam Prumienſem evectus.

In

In Oriente verò celebris eſt *Simeon Metaphraſtes.*



SECUL. X.

I.

Qui ſunt Imperatores Seculi X.

Seculum hoc inopia ſcriptorum obſcurum fere; ſequentes habuit Imperatores. 1. Ludovicus III. 2. Conradus I. 3. Henricus Auceps. 4. Otto M. 5. Otto II. 6. Otto III.

Germanis proceres concedunt ſceptra. Potitus
his eſt *Conradus primus*, qui reppulit Hunnos.
Auceps Henricus, primus tornamina, ludos

haſtarum illuſtres, Germano ſanguine natis

commendat, regnat. Patri fuit æmulus *Otto*

Magnus, Pannonios pellens. Poſt *Otho Secundus*.

Tertius imperium teneris ſusceperat annis.

Aſt orientis *Alexander* quoque ſceptra capeſsit.

Deîn *Conſtantinus*, *Romanus*, *Nicephorusque*,

Zimiſca hos ſequitur. Sed *Baſilius* dedit *alter*,

Tì *Conſtantino* fratri moderamina regni.

II.

LUDOVICUS III.

Quis eſt hic Ludovicus?

Filius Arnulphi, poſtremus in Germania ſtemmatis Carolini.

III.

III.

A quibus est electus?

A Proceribus Germaniæ (a) Forchemii congregatis, eumque nondum esset maturus imperio, regio Francorum sanguine natus Hatto Moguntinus, (à quo coronatus) & Otto Saxo, præcipuam Reip. curam gessere.

(a) De hac electione hæc in *Annalibus Fuldensibus* leguntur. *Anno 800. defuncto Arnulpho, Proceres & Optimates ad Forcheim congregati in unum, Ludovicum filium præfati Principis, quem ex legitimo matrimonio susceperat, Regem super se creant, & coronatum Regisque ornamentis indutum, in fastigio regni sublimant.* Ex his sole meridiano clarius, Ludovicum titulo Imperatoris, quem à temporibus Caroli M. nemo nisi à Pontifice consecratus, usurpare ausus est, caruisse, solumque *Regem Germaniæ* dictum fuisse.

v. pluribus *Simon Schard*, de more ungendi approbandique Cæſares, apud *Goldaſtum* Pol. Imp. part. 4. p. 317. Cum enim Imperatorium nomen Regno Italiæ niteretur, ita ut qui regno illi præeſsent, iidem *fere* & Imperatores dicerentur, & vero Ludovicus Italiæ, (aliis Principibus illius imperium ſibi vindicantibus) non imperaret, hinc etiam Rex tantummodo Germaniæ vocatus. Plane huic etiam ſententiæ accedit *Rupertus* ad Beſoldum. p. 642.

IV.

Cum juvenis adhuc fuerit ſuntne quædam ejus res geſtæ?

Tres anti-cæſares, nempe Ludovicum, Berengarium, & Lambertum, ſibi cum obpoſitos habuiſset, Hungarorum quoque irruptio multum ei negotii faceſsit. Tandem auro pacem redimens, Germaniam â ſævitia hoſtium liberavit.

V. CON-

V.

CONRADUS I.

Quis post obitum Ludovici factus est imperii particeps?

Conradus I. Franconiæ dux, ab Ottone Saxoniæ Duce, assentiente Hattone Moguntino Archiepiscopo, Imperator denominatus est.

Quæ ratio hujus electionis fuerit, ex *VVittichindo* Corbejensi Monacho, colligere est, cujus I. annal. hæc verba sunt. *Regi Lothovvico non erat filius, omnisque populus Francorum atque Saxonum quærebat Ottoni diadema imponere regni. Ipse verò quasi jam gravior recusabat imperii onus; ejus tamen consultu, Conradus quondam Dux Francorum ungitur in regem, penes Ottonem tamen summum semper & ubique vigebat imperium.* Gravem & tanto duci, qualis Otto erat, Orationem, qua imperii molem prudenter excutiens, in humeros Conradi devolvit,

vide apud *Cusp*. p. 292. Cœterum cum non nisi certâ lege ac pactione interveniente Conradus imperium acceperit, exinde originem capitulationis deducere simile verò videtur. v. *Carpzov*. de Lege Regia Germ. c. 1. s. 8. n. 40. seqq. *Arum*. Tom. 4. disc. 4. Alii tamen ad Caroli M. ætatem, ut *Limn*. l. 1. c. 12. n. 14. seqq. *Reinking*. l. 1. d. S. R. & Eccl. Cl. 3. c. 9. n. 2. alii ad Ludovici Arnolphi filii, alii ad Henrici IV. imperium, incunabula illius referunt. Cui in hoc sententiarum divortio accedendum, non liquet.

VI.

Nulline hostes adversus eum exorti?

Plures equidem, nempe Arnoldus Bavariæ, Burkardus Sueviæ, Gisselbergus Lotharingiæ Duces, Comes Frankoniæ Eberhardus, & potentissimus Saxoniæ Dux Henricus; quos tamen

tamen omnes, uno Bavaro excepto, non vi, ſed prudentia ſingulari, ſibi amicos reddidit.

VII.

Quem autem ſucceſſorem ſibi voluit?

Virtutem in hoſte magnifaciens, Henricum Principibus imperii, ut faſces ei deferrent, (a) commendat, id quod & ipſi ſibi dictum putârunt.

(a) Verba ipſius Conradi, recitat *Luitprandus*, Ticinenſis Eccleſiæ primum Levita, poſtmodum Diaconus, tandem Epiſcopus Cremonenſis, apud *Conring.* diſsert. de Septem Viris §. 18. videatur & *Lehmannus* Chron. Spir. l. 3. c. 51.

VIII.

HENRICUS AUCEPS.

Ex qua familia natus erat Henricus?

Ex familia Saxonum & ſtirpe Wittichindi Magni, patre Ottone Saxoniæ Duce. Unde translatum eſt in eo imperium ad Saxones.

IX.

Cur dictus eſt Auceps?

Quod in aucupio fuerit deprehenſus, cum ipſi dignitas imperatoria deferretur.

X.

A quibus, & ubi electus eſt?

A Ducibus, Principibus & Epiſcopis Germaniæ, Fridslariæ.

Deſtinârat equidem eum ſucceſsorem regni Conradus, Procerum tamen dein conſenſus accedebat. Audiendus *Crantzius* l. 3. Sax. c. 4. p. 180. *Congregati Princi-*

Principes Franciæ Orientalis, Thuringiæ & Saxoniæ in Frislariam, elegerunt concorditer eundem Henricum: quanquam diſpoſitio de regno non tam erat in arbitrio eligentium, quam in ordinatione decedentis; Nam abinde Carolo M. pater filio reliquit imperium, niſi quod aliquoties propter ignaviam ſuccedentis, ſe interpoſuerint Principes ordinationi. Tum verò etſi Conradus deceſſor, de Henrico ſucceſſore ordinaſſet, ex abundanti tamen, hunc fecere conventum, ut omnium voluntate regnaret. Aſt non placet Henricus, certiſſimo Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ideo quod ſola Electione Germanorum Principum contentus, coronationem Pontificiam neglexerit. Unde & multis ſcriptorum, Henrico Aucupe omiſſo, Henricus II. Seculi XI. Imperator, primus Henricorum eſt. Cauſam ejus rei ſi petas, chorda ſemper audies oberrare eadem, nempe *eos non eſſe Imperatores, qui non à Romano Pontifice eſſent coronati.* Enimverò Helenæ huic dudum maſcule colorem detraxit Crantzius l. c. *Dicant igitur*, inquit, *ſi ideo Imperator non*

est, quia à Papa consecratus non est; quis consecravit Augustum & omnes ab eo Augustos usque ad Carolum M.? nisi ille per quem Reges regnant & potentes justa decernunt, &c. Adde *Rupertum* in Besoldum p. 646. *Burgoldens.* disc. 9. §. 13. p. 248. Nimirum recte *Nicolaus Cusanus* Cardinalis l. 3. de Concordia Cath. c. 4. p. 361. apud Sim. Schard. ait, *unctio & diadema nihil præstant imperiali potestati.* Ex quo enim Imperator electus est, Majestatem atque imperii jura consequitur id quod latius ostendit *Carpzov.* de L. R. c. 2. s. 9. Et licet nonnulli, v. g. Ludovicus I. à Stephano, Carolus II. à Johanne VIII. Otto I. à Johanne XII. consecrationem acceperint, id tamen partim ex urbanitate, partim ex quadam assentatione erga Papam, partim aliâ ex causâ à Principibus atque Imperatoribus, Papali aliqua ope indigentibus, est profectum.

XI.

Gessitne bella?

Cum Danis, Slavis, & Hungaris

garis, hosque ad Martisburgum ingenti clade concidit. Danos vero ut & Bohemos, ad Christianam fidem adegit.

XII.

Quid porro memoriâ dignum in ejus tempora incidit?

Ilud, quod rursus nonnulli (a) Marchionatus constituti, (b) urbiumque numerus, in Germania, creverit.

(a) Marchionum non solum dignitas, sed & officium in Germania Caroli M. & seqq. Imperatorum temporibus initia sumsit. Unde verò illud nomen derivetur, non omnibus una eademque mens. Qui toto cœlo à veritate distant, Marchionum nomen, â quodam Trojano Marchione deducunt. Alii Marcomirum, aut Marcomannos hanc iis appellationem dedisse, autumant. Rem acu illi tetigere, qui â voce *Marca*, limites vel fines, vel totum aliquam imperium termi-

terminantem provinciam, denotante, Marchionum nomen descendere adfirmant. v. *Vossius* de vitiis Serm. l. 2. c. 12. p. 250. *Carpzov.* de L. R. c. 3. s. 13. n. 29. Cum itaque ob crebras hostium in imperii limites excursiones, publica salus custodiam, ne ulterius penetrarent, efflagitaret; hinc Marchiones, id est, duces limitanei à Carolo M. constituti (subjugatis Longobardis, Saxonibus aliisque finitimis populis,) ex præcipuis nobilitatis viris. Unde sub Henrico etiam Marchionatus Misniæ, Austriæ, Brandenburgicus, ac Sleswicensis orti. v. *Hornius* Orb. Imp. p. 7.

(b) Quod neque â nato Servatore usque ad Seculum V. in Germania magna, neque Caroli M. ætate, in Saxonia urbes fuerint, satis nervose ostendit *Conring.* in dissert. de Urbibus Germanicis. Sequioribus autem temporibus paulatim vicorum, quos habitavêre, melior *cœpit* esse conditio, usque dum Principes & populi non amplius & his contenti, urbibus exstruendis operam dedêre. Si quisquam alius laudem ea re in Saxonia

promere-

promeretur, certe est Henricus, quo de ex veterum monumentis *Nicolaus Myler* ab Ehrenbach / magni nominis JCTus in Archol. Ord. Imp. c. 17. n. 3. p. 157. ita loquitur. *Henricus Auceps, vulgo* der Finkler *dictus, oppida in Germania, hinc inde noviter condere, & munire incipit, translatoque nono quoque viro, ex agro, & pagis, in prædicta oppida, tertiam quoque partem, omnium frugum illorum, in ædibus à se extructis, reservare jussit, ut in bello nihil alicui rerum deficeret, omniaque rebus, & viris plena adessent.* Legendus hîc quoque *VVidekindus* Corbej. apud *Conring.* l. c. §. 82. Discrimen exinde enatum, civium & plebis rusticæ, der Burger und Bauren / quorum hi à colendo vom Bauen / Bauren dicti. Illi vero Burger à Burgo, id est, munimento sive loco munito.

XIII.

Adjunxit ne & alias urbes imperio ereptas, Germaniæ regno?

Avulsa erat ab imperio Lotharingia,

tharingia, eamque illi Rex Galliæ Carolus Simplex reddidit, quo majus ab illo auxilium impetraret.

Nauclerum hic audire adprime necessarium. His autem ille verbis hanc restitutionem Lotharingiæ narrat Generat. 31. p. 137. *Cum regnum ex omni parte confusum civilibus bellis & externis colligere pararet, movit in Lotharingiam seu Galliam Belgicam. Ibi Rex Galliæ obvius apud Bunnam oppidum,* Henrico *I. confœderatus, Regnum Lotharingiæ, & quicquid inter Mosam fluvium ac Rhenum est, reddidit anno Domini 924. Sic Henricus Lotharingiam cum tota Teutonia, Burgundiæ comitatu, & Arelatensium regno, Romano univit* imperio v. *Conring.* de finibus. c. 6. & 8. *Diet.* in Henr. Auc. §. 7. p. 32. *Dithmarus.* p. 15. l. 1. Qua verò ratione hodie ad imperium pertineat videsis *Joh. Andr. Gerh.* in Aquila Senesc. §. 24. Cœterum illud rebus Henrici addendum, quod nempe A. C. 930. nomen comi-

tum

tum Nassoviæ inclaruerit, Lanceamque, ex clavis crucis Christi factam, quæ Noribergæ adservatur, tanquam imperii pignus consecrârit, ac insuper ludos equestres, qui Torneamenta vocantur, instituerit.

XIV.

OTTO MAGNUS.

Habuitne filium Henricus, qui ei successit?

Utique Ottonem Magnum, Principem pium, justum, clementem, sub quo, cum maxima Germanici imperii fuerit potentia, (a) imperatorio nomine, ipsum quoque in urbem Romam imperium, ei fuit concessum.

(a) Integrum c. 10. aurei de Germ. Imperio tractatus, huic negotio solide excutiendo, destinavit *Conringius*, cui adde §. 48. & 49. dissert. de Imperatore Rom-Germ.

XV.

Numne & ille electus est à Principuus?

Vivo quidem Parente Rex designatus est; illo verò decedente, Principes & populus Francorum atque Saxonum, eum sibi Regem ac Dominum elegêre.

Ne quis de veritate hujus electionis dubitet, Testem sisto, judicio *Possevini*, scriptorem sincerissimum *Dithmarum*, ex Monacho Magdeburgensi, præpositum Walbecensem, ac tandem Episcopum Mersburgensem, qui quinque Saxonicorum Imperatorum, nempe duorum Henricorum, triumque Ottonum, res gestas libris 8. complexus est. Ita autem loquitur l. 2. p. 17. *Omnes Reipublicæ Principes, magnum reginæ Mechtildis mœrorem lenire cupientes, Ottonem filium ejus, patris sui decreto ac petitione, uno ore in Regem sibi & Dominum elegerunt, elevatis dextris conclamantes, Vivat & valeat Rex victor*

victor in æternum. Excipiebat electionem solennis coronatio Aquisgranensis A. C. 936. ab Hildeberto Archiepiscopo Moguntina peracta, quam uberrime describit *VVittich*. l. 2. & *Lehmannus* Chron. Spir. l. 5. c. 3.

XVI.

Cum quibus bella gessit?

Cum Duce Bavariæ, Sueviæ, Hungaris, Bohemis, Heraldoq; Danorum rege, quem, Christianam fidem ut susciperet, adegit.

Hæc tamen omnia ad ea saltim tempora pertinent, quibus, nondum adsumto nomine Imperatorio, Germaniæ Rex audit. Illud enim demum A. C. 962. ei obtigit, cum Italiam ingressus, à Johanne XII. in lubrica adhuc vernantique ætate Pontifice, ei Romani imperii corona esset imposita. Hunc tamen juvenem, gravissimorum scelerum, quæ *Hist. Eccl. Goth*. l. 2. c. 4. s. 2. n. 6. p. 535. ordine recenset, reum, post paulo Im-

peratur

perator Episcopatu pellit, subrogato Leone VIII. qui omne jus eligendi Pontificis Imperatori concessit. v. *Sigonius* l. 7. de R. It. p. 168. Pontificem ergo Imperatoriæ potestati subjectum fuisse, quis amplius dubitet? v. *Theodorus Niem* de Investitura Episcopatuum Regum Teutonicorum, apud *Simon Schard.* de Jurisd. Imper. p. 249. *Conring.* de finibus, c. 10.

XVII.

Quæ nam porro præclara de eo recensetur?

Inter plurima maxima laude digna, & illud, quod (a) Magdeburgensem urbem, in qua sepultus, excolens, Archiepiscopatum inibi fundàrit; neque verò hunc tantum, sed & Brandeburgensem, Havelburgensem, Misnensem, Cizensem instituit.

(a) Consulendi hic *Crantzius* l. 3. Sax.

Sax. c. 24. & l. 4. c. 17. *Dithmarus* l. 2. p. 28. Etsi verò & ea propter vere dicendus sit Magnus Otto, quod Episcopatuum novorum constitutione Ecclesiæ salutem quæsiverit, limites tamen in eo liberalitatis excessisse putatur, quod nimiâ largitione, de sacris ordinibus bene mereri voluerit. Jam enim sub altera Francorum familia, crebris donationibus, illis crevit & ambitio, & majora concupiscendi cupiditas, quæ deinceps incrementa sumsit, cum Saxonicæ familiæ Imperatores, vestigiis antecessorum insisterent. Præprimis autem munificentiâ suâ effecit, ut Episcopi hodie nonnulli præter Ecclesiasticam, etiam secularem obtineant dignitatem. *Nam cum Brunoni Archiepiscopo Coloniensi ducatum Lotharingiæ, deinde filio VVilhelmo Archiepiscopo Moguntino Hassiam & Thuringiam. donasset, Spiram Nemetum Episcopo loci subdidisset, inde factum ut jam duplicem sustineant personam, Principis secularis & Ecclesiastici*; verba sunt *Ludolphi Hugonis* dissert. de statu Reg. Germ. c. 1. §. 5. Cui jungatur & *Malinkrot* de Archi-

Cancell,

Cancell. p. 28. Cœterum incidit in tempora Ottonis, Poloniæ ad Christianam Ecclesiam accessus; Miezislaus enim postquam satis Christianam fidem imbibisset, sacro baptismatis lavacro A. C. 965. in Ecclesiam receptus est. *Sub eo hic mos inolevit*, inquit *Johannes Theodorus Sprengerus*, Poloniæ Nov-antiquæ. §. 1. p. 4. *ut Poloni equestris ordinis in templis, dum sacerdos apud altare pronunciat, quod Evangelium prædicaturus sit, gladios mediotenus stringerent, quasi pro defensione fidei mortem potius oppetendam, quam ab agnita veritate recedendum indicare velint; choro autem respondente*, gloria Tibi Domine, *rursus reconderent.*

XVIII.

OTTO II.

Quis est successor Ottonis?

Filius ejus Otto II. qui patre superstite Aquisgrani Rex est declaratus; sed illo defuncto

functo, denuo à Regni proceribus confirmatus est.

XIX.

Quid dignum observatu in ejus imperio occurrit?

Illud, quod adverso Marte, cum Saracenis pugnans, ac in fuga â Piratis captus, linguæ Græcæ beneficio, cujus peritus, evaserit.

XX.

Anne & beneficus in Pontificem fuit?

Johanni XII. donationem à Ludovico Pio, Seculo IX. factam, confirmavit, & ad verbum repetiit.

Ast qualis hæc erat confirmatio? non alia sane quam quod sibi Otto reservaret omnem potestatem & juris dictionem Politicam; ita enim, apud *Baronium*, Tom. 10. A.C. 962. in diplomate,

M inquit,

Cancell. p. 28. Cœterum incidit in tempora Ottonis, Poloniæ ad Christianam Ecclesiam accessus; Miezislaus enim postquam satis Christianam fidem imbibisset, sacro baptismatis lavacro A. C. 965. in Ecclesiam receptus est. *Sub eo hic mos inolevit*, inquit *Johannes Theodorus Sprengerus*, Poloniæ Nov-antiquæ. §. 1. p. 4. *ut Poloni equestris ordinis in templis, dum sacerdos apud altare pronunciat, quod Evangelium prædicaturus sit, gladios mediotenus stringerent, quasi pro defensione fidei mortem potius oppetendam, quam ab agnita veritate recedendum indicare vellent; choro autem respondente*, gloria Tibi Domine, *rursus reconderent.*

XVIII.

OTTO II.

Quis est successor Ottonis?

Filius ejus Otto II. qui patre superstite Aquisgrani Rex est declaratus; sed illo defuncto

functo, denuo à Regni proceribus confirmatus est.

XIX.

Quid dignum observatu in ejus imperio occurrit?

Illud, quod adverso Marte, cum Saracenis pugnans, ac in fuga â Piratis captus, linguæ Græcæ beneficio, cujus peritus, evaserit.

XX.

Anne & beneficus in Pontificem fuit?

Johanni XII. donationem à Ludovico Pio, Seculo IX. factam, confirmavit, & ad verbum repetiit.

Ast qualis hæc erat confirmatio? non alia sane quam quod sibi Otto reservaret omnem potestatem & juris dictionem Politicam; ita enim, apud *Baronium*, Tom. 10. A.C. 962. in diplomate,

inquit, ſalvâ, ſuper eosdem Ducatus noſtra in omnibus dominatione, & illorum ad noſtram partem & filii noſtri ſubjectionem.

XXI.

OTTO III.

Quem ſucceſſorem imperii habuit?

Filium Ottonem III. qui vix undecim annos natus, à proceribus Germaniæ, Veronæ electus eſt A. C. 983.

XXII.

A quibus ergo educatus eſt?

Primum à (a) Gilberto, deinde à (b) Willigiſo Rhedarii filio, quem Otto II. ad Epiſcopatum Moguntinenſem evexit.

(a) Non ſolum Ottonis, ſed & Roberti Galliæ Regis Præceptor fuit, à quo primo Epiſcopatui Rhemenſi præpoſitus,

tus, post vacante sede Pontificia, Gregorio V. suffectus est. Variis verò variorum censuris fama ejus subjacet. Plurimi Pontificii scriptores, in quibus *Benno, Platina, Joh. Stella* alii, Magum eum fuisse perhibent. Ex nostratibus autem huic sententiæ, *Flacius Illyricus, Philippus Mornæus, Reusnerus, VVolfius, Magdeburgenses*, accedunt. Enimverò alii meliora de eo sentientes, eum hoc crimine liberare omnibus modis annituntur, causam geminam, cur Magiâ maculam illius famæ inusserint, adferentes, quarum una, quod à partibus Imperat. steterit; altera, quod, cum Mathematicarum artium peritissimus fuerit, ea effecerit, quæ harum rerum parum gnari, humana opera haud perfici posse putârunt. v. pluribus *Boxhorn*. H. V. p. 573. *Lehman*. Chron. Spir. l. 5. c. 15.

(b) Natus fuit in pago Schöningen, conditionisque pristinæ, postquam ad hunc dignitatis gradum ascendisset; memor, rotâ (quæ in hunc usque diem in insignibus Archiepiscopatus Moguntini permansit) undique depicta, illam sub-

inde ſibi in memoriam revocavit; addita hac inſcriptione, *VVilligis, VVilligis recole unde veneris.* *Dreſſerus* Millenarii VI. part. 2. p. 62. primum eum Septemvirum imperii ex Moguntina diœceſi, putat. Aſt cum fundamentum, quo nititur, oppidò incertum ſit, ſua etiam ſponte corruit illud, quod huic ſuperſtructum.

XXIII.

Quidnam de eo memoratu dignum?

Illud quod adulterinum Pontificem Johannem, oculis & vita privàrit, ſuffecto in ejus locum Gregorio, adulteriique convictam uxorem, Mariam, ad Mutinam vivam cremari juſserit.

Solenne permultis VII. Electorum originem ab Ottonis hujus & Gregorii V. Pontificis temporibus arceſsere, id quod ipſum & Moguntinus in Elect. Caroli V. apud Sabinum p. 5. adfirmat.

Enim-

Enimverò hoc non ſatis certum eſse, contra *Gevvoldum* acerrimum ſententiæ hujus defenſorem, oſtendunt Viri harum rerum peritiſsimi, *D. Strauch.* diſp. Exoter. 2. §. 1. p. 43. *D. Conring.* de Septemv. ſv. Elect. Germ. §. 23. *Carpzov.* de Lege Regia. c. 10. ſ. 5. *Godofredus de Jena*, de Elect. Imperat. diſsert. 1. Th. 5. p. 33. *Rupertus* ad Beſ. p. 651. *Dietrich.* in Otton. III. p. 105. *Burgold.* ad Inſtr. Pacis. diſc. 19. p. 320. *Lehmann.* l. 5. c. 17.

XXIV.

Quis vita Ottonis finis?

Artibus Creſcentii viduæ, quæ Imperatricem ſe fore ſperavit, extincta eſt. Cum enim ſpe ſua ſe excidiſse animadverteret, chirotecas veneno tinctas, Imperatori miſit, quarum uſu paulatim conſumtus, ex vita iſta diſceſsit.

XXV.

Dedit ne aliquos viros doctos hoc Seculum?

Paucissimos; divitiis enim cum inhiarent monachi, luxuriam & desidiam studiis anteferebant. Hinc præter *Leonem* sapientem Orientis Imperatorem, *Rudolphum* monachum Flaviacensem, *Luitprandum* Ticinensem Diaconum, *Odonem* Cluniacensem, *Dithmarum* & *Windichindum*, nullos *admodum claros* in hoc Seculo deprehendes.

Et *Baronius*, & *Genebrarum* [illegible] hujus, ob Pontificum vitam, perversitatem accusarunt. *Bellarminus* in Chronol. sua ita de eo loquitur: *vide seculum infelix, in quo nulli scriptores illustres, nulla concilia, Pontifices parum solliciti de Rep.* (& cur non de Ecclesia?)

SECUL.

SECUL. XI.

I.

Qui ſunt Seculi hujus Imperatores?

1. Henricus II. claudus, ſive Sanctus etiam dictus. 2. Conradus Salicus. 3. Henricus III. 4. Henricus IV. De cœtero, Seculum fuit turbis undique refertum.

Nulla fuit ſoboles *Henrico* ex conjuge caſtâ,
poſt quem *Suevorum* primus ſuſcepit honores
Imperii *Saliquus Conradus. Tertius Heinrich*
Pontificum rixas componit. Nomine *Quartus*
Henricus dignâ ſuperavit clade Rudolphum.
Hos oriens coluit te *Argyrum*, poſt *Michaelem*,
Paphlago, cui nomen. Succeſſerat huic *Calephatus*

qui regno pulsus. *Constantinum Monomachum*
suscipit Eous. Sed jam *Theodora*, sororis
est regni consors. *Michael Straticus*, *Isac*
Comnenus, *Ducas*, *Romanus*, *Parapinacjus.*
Tuque *Botoniates*, *Alexi* hæc secula claudis.

II.

HENRICUS II.

Ad quem delatum est post obitum Ottonis imperium?

Ad (a) Bavaros in Henrico Saxonicæ originis,(b) Hungarorum Apostolo.

(a) Hujus electioni omnes regni proceres interfuisse, refert *Frisingensis.* l. 6. his verbis. *Anno ab incarnatione Domini M I. mortuo sine hærede Ottone III. Henricus, patre Hezilone, natione Noricus, ejusdemque gentis dux, ab omnibus*

bus regni proceribus electus, LXXXVII. ab Augusto creatur. Verum enim verò non ſtatim ab obitu Ottonis III. particeps Imperatoriæ dignitatis factus eſt Henricus; ſiquidem & Ekardus Marchio Saxoniæ, & Hermannus, Principum imperii favorem aucupabantur; aſt cum nihil adverſus eum valerent, rerum ſumma, illi tandem qui ſanguine junctus erat Ottoni, commiſſa, ac à Willigiſo Epiſcopo confirmatus eſt v. *Dithm.* l. 5.

(b) Cur Hungarorum Apoſtolus dicatur, liquidius oſtendit *Cuſpinianus*, p. 326. *Giſela*, inquit, *ſoror Henrici Regis erat ea tempeſtate omnium formoſiſſima, cujus pulchritudinem omnes Principes valde admirati ſunt ea tempeſtate. Hanc ſibi uxorem expetivit Hungarorum Rex, ſpecie illius captus: quam per nuncios & pictores* (non ergo hic modus matrimonia ineundi novus) *excellentiſſimam eſſe cognovit. Quæ Regem Hungarorum maritum aſpernata, niſi abjecto idololatriæ cultu lavacro baptiſmi ablueretur, & Chriſtum cum univerſis ſuis ſubditis confiteretur.*

teretur. Accepit conditionem Rex, & Stephanus est novo nomine dictus, ut potiretur hujus venustissimæ puellæ matrimonio; simulque universum Hungarorum *regnum fidem Christi assumpsit.* v. præterea *Sigbertus*, ad A. C. 1010. *Otto Frising.* Chron. l. 6. *Lupoldus de Babenberg*, de Germanorum Principum Zelo. c. 2. *Tritthemius* Chron. Hirsg. *Crantz* in Sax. l. 4. c. 29. *Emmius* l. 5. Chron. p. 200.

III.

Fuitne bonus Imperator?

Optimus ſane, non ſaltim ob pacis, ſed & religionis disciplinæque Eccleſiaſticæ ſtudium, quam ſartam tectam obſervari ſerio mandavit.

v. *Lehm.* l. 5. c. 16.

IV.

Quid præter alia, memoria dignum ab eo factum?

Illud, quod (a) Epiſcopatum

tum Bambergensem fundarit, in qua dein Ecclesia sepultus est.

(a) Fuit antea comitatus, qui, decedente illius Domino sine mascula prole, ad imperium rediit, quare in honorem S. Petri & Pauli & Georgii Martyris, comitatu in Episcopatum mutato, primum Episcopum Eberhardum constituit, templumq; splendidum à se exstructum, per Benedictum VIII. consecrari, eique pro confirmatione exinde 100. marcas argenti cum equo albo phalerato quotannis persolvi vult. Αὐτόπτης de consecratione hac hæc narrat *Dithmarus.* l. 6. *Peracta in civitate Babenbergensi Ecclesia majore cum natalitius Regis dies esset, & 35. jam inciperet annus, II. Non Maji omnis primatus ad dedicationem istius aulæ ibidem congregatur, & sponsa hac Christi, per manus Johannis, Patriarchæ de Aquileja, & aliorum plusquam XX. Episcoporum dedicatur.* Pluribus hoc negotium exposuit *Dietericus* in Henrico II. §. 8. p. 68. & seqq. Hornius addit in

orbe Pol. p. 10. Episcopatui, amplissimos comitatus, & in Carinthia insignem Ducatum subjectos esse; ac insuper Henricum constituisse, ut quatuor seculares Electores Rex Bohemiæ tanquam Archipincerna, Comes Palatinus tanquam Archidapifer, Saxo tanquam Archi-Marschallus, Brandeburgicus, tanquam Archi-Camerarius, feuda sua ab hoc Episcopo peterent. Enimverò de his longe rectius sentit *Burgoldensis*, Instr. Pac. part. 1. disc. 29. §. 5. p. 324.

V.

Vixit ne in conjugio?

Duxerat in uxorem Cunegundam, filiam Sigfridi Comitis Palatini Rheni, quâ cum postquam plurimis annis, sine bile, sine crimine, sine macula & querela vixisset, fato proximus, Virginem eam parentibus reddidisse, traditur.

Ita

Ita nihil novi fuit illis seculis, sequioribus temporibus figmentis illudere, ac fumos mundo venditare. Non satis erat, ad cœlum usque laudibus matrimonium Henrici evehere, (ut ita facilius ad castitatem perpetuam, licet nonnunquam animus esset corruptus, fœmineus Sexus alliceretur,) nisi & miraculis fabulæ fides quæreretur. Hinc Cunigundam vomeribus ardentibus insistentem, sed illæsam, in scenam ea tempestate produxerunt illi, qui otio talia fingendi abundabant. Audiendus hic omnino est, *Dietericus*, dextre de hac re in Henrico II. p. 59. judicans. *Nimium boni*, ait, *videntur, qui hoc ἄγαμον conjugium credunt, & ad imitationem perfectæ virtutis extollunt. Certe quantum inquirendo aut cogitando comperire possumus, Imperatori & Imperatrici injuriam faciunt, qui tam absonam inter conjugatos castitatem comminiscuntur, & inde ἀζύγους sive sejuges efficiunt.* Speraverat equidem ex conjugio suo sobolem Henricus, eamque quæsivit; sed cum ei nulla ejus acquirendæ spes esset, (quo de ipse in Francofurdensi

Synodo conqueſtus eſt) qui ergo in thoro, naturæ vim intuliſse credendus eſt?

VI.

CONRRDUS II. SALICUS.

Quis ſequitur Henricum?

Ex Franconica familia, ei Conradus Salicus Ottonis M. abnepos ſucceſsit.

VII.

A quibus eſt electus?

A Principibus Secularibus & Eccleſiaſticis, intra Moguntiam & Wormatiam congregatis.

VVippo, Henrici Tertii Sacellanus, qui fide magna vitam Conradi ſcripſit, cùm in aula ejus vixiſset, modum hujus electionis ita recenſet. *Conſedêre Principes, populus frequentiſsimus aſtabat.*

Archi-

Archi-Episcopus Moguntinensis, cujus sententia ante alios accipienda fuit, rogatus à populo, quid sibi videretur, abundanti corde, hilari voce laudavit & elegit majoris ætatis Cunonem, (hoc enim nomen, antequam Rex creatus, obtinuit, teste *Theodorico Engelshusio* Canonico Hildesiensi, p. 42.) *suum in Dominum & Regem, & Rectorem, & defensorem patriæ. Hanc sententiam cæteri Archiepiscopi & reliqui sacrorum ordinum Viri, indubitanter sequebantur. Tunc singuli de singulis regnis eadem verba electionis sæpissime repetebant. Fit clamor populi, omnes unanimiter in Regis electione Principibus consentiebant, ipsum cunctis dominantibus nihil hæsitando proposuerunt. VVimphlingius* in Epit. Rerum Germ. c. 24. trium annorum interregnum, *Cuspinianus* biennium, priusquam inter se, de novo Rege eligendo convenirent, intercessisse, putant. At ipse Henricus Principibus ac Episcopis ad se vocatis, Conradum commendavit. *Conradum*, inquit, apud *Sigon.* l. 8. de regno Ital. p. 192. *Franconiæ Ducem virum Consilio manuque promtum*

eligite.

eligite. jungatur *Crantzius* l. 4. Sax. c. 35. Hocque ejus consilium Abbonisque, (*Monachus Hamerslebiensis*, in Compendio, apud *Maderum* in Antiquitat. Brunsvicens. p. 141. Aribonem vocat) Moguntini, nonnullis licet dissentientibus, sequentes, regnum Conrado confirmarunt, eo quidem anno quo Henricus decessit, nempe A. C. 1024. licet Anno demum 1027. Romæ Augustus adpellatus sit.

VIII.

Cur dictus est Salicus?

Ideo quod ex antiquis Francis, (a) Salæ accolis, originem trahat.

(a) Ita sentit *Camerarius* part. 3. op. subc. c. 64. qui fusius de Saliis legeque Salica, fœminas à successione regni Francici excludente, agit, cui jungendus *Conringius*. Tr. de Orig. Juris Germ. c. 7. per totum.

IX.

Quæ ejus sunt res gestæ?

Romæ coronatus, Hungariam

riam bello petit ac vaſtat, Poloniam cum Rege Miezislao imperio ſubjicit, (a) Burgundiæque regnum in Rudolfo, cum intra 144. annos decem Reges habuiſset, deficiens, in eo rurſus imperio Germaniæ adjungitur. Inſuper (b) Spiram ampliorem, ſplendidiſsimoque templo auguſtiorem reddidit, voluitque ut esſet commune Imperatorum Germanorum Mauſolæum.

(a) Hæreditate illud illi obtigit, ſiquidem Rudolphus Rex, neglecto Odone affine, Conradum ejusque filium Henricum regni hæredes teſtamento eſse jusſit. Atque ſic Burgundia, Helvetiam, Sabaudiam, Burgundiam utramque, & magnam Galliæ Lugdunenſis partem complectens, juris Germanici eſse cœpit, v. *D. Strauch.* JCTus Exercit. Exot. 1. §. 2. p. 2. & ſub regni Arela-

tenſis

tensis nomine, ad Caroli IV. usque tem-
pora ei adhæsit.

(b) v. *Lehman.* Chron. Spir. l.5. c.19

X.

HENRICUS III. NIGER.

Quis fuit?

Filius Conradi, magni ingenii indolisque puer.

XI.

Quomodo ad imperium pervenit?

Pater eum, undecim annos natum, Aquisgrani, consentientibus Principibus & populo, in Regem inungi voluit.

XII.

Quid fecit in imperio?

Fuit Majestatis Imperatoriæ adversus Pontifices acerrimus

rimus defensor; siquidem tres Pontifices, Benedictum IX. Sylvestrum III. & Gregorium VI. de sede contendentes loco movit, (a) Clemente in locum illorum suffecto.

(a) Id vero nominis sibi sumsit, cum Papalem dignitatem ab Imperatore accepisset; prius enim Suidger dictus Episcopatui Bambergensi præfuit. *Monachus Hamerslebiensis* in Compend. Imperat. ab Henrico Aucupe, usque ad Henricum V. ita ait. *Henricus Rex Anno 1046. Romam pergens, tres Papas deposuit, & Suvidigerum secundum Babenbergensem Episcopum, Papam constituit, à quo ipse & conjux Agnetis, imperiali benedictione sublimantur.*

XIII.

Quid circa tempora Henrici III. porro contigit?

Exortus est Berengarius, natio-

natione Turonensis, Ecclesiæ Andegavensis Diaconus, qui veritatem corporis Christi eiusque sanguinis, in cœna evertens, aliquoties damnatus, tandem dogma suum abjurare coactus est.

Σύγχρονος ei fuit *Lantfrancus*, Archiepiscopus Cantauriensis. Accidit verò, ut de rebus ad Dialecticam pertinentibus inter se disceptarent; ubi cum palmam porrigere Lantfranco Berengarius cogeretur, ægre id ferens, alia via os populi mereri adgressus est. Itaque temerario plane ausu, ambitione calcaria addente, tremendum illud mysterium involat, seculisque anterioribus (non obstante eo, quod & *Scotum Erigenam* & *Berthramum* Monachum, sibi antecessores habuerit) ignotum dogma, in Gallia A. C. 1051. publice profitetur, nempe, ut *Platina* narrat, *in Sacramento Eucharistiæ & Calicis, non esse verum corpus Christi*

Christi integrumque ſanguinem, niſi, ut in ſigno, figura myſteriove. Paucisſimi erant, qui in ſententiam hanc deſcendebant, & non niſi ii, quos Berengarius annua ſtipe in ſuas partes protraxerat. Nihilo-tamen minus in vulgus abiit dogmatis hujus novitas. Cum delatum eſset ad Leonem IX. Pontificem, in concilio (in quo Adelmannus Brixienſis Epiſcopus, Epiſtolam ad ſe à Berengario ſcriptam, publice legit) ſententia Berengarii damnata. Leoni ſucceſsit Victor, qui rurſus in Gallia Celtica Synodum congregavit, in qua Berengarius errorem ſuum ejuravit. Sed cum & defuncto Victore, antiquum obtineret, Nicolaus Romæ in concilio eò eum adegit, ut ſuis manibus librum ſuum, præſentibus 113. Epiſcopis igni traderet. Nihilotamen minus ad vomitum rediit, eique tandem Lantfrancus librum de veritate corporis Domini obpoſuit, qui una cum Guidmundi Epiſcopi Averſani tribus libris ejusdem ſententiæ, extant in Bibliotheca Patrum. v. *Hiſt. Eccl Goth.* l. 2. c. 4. ſ. 3. p. 564. *Hornejus* de vera & Reali corporis Chriſti præſentia §. 39.

D. Mül-

D. Müller. Quæſt. Select. Semicenturia altera, q. 25. §. 3. p. 138.

XIV.

HENRICUS IV.

Quem ſucceſſorem habuit Henricus III.

Filium Henricum Quartum, inconſtantis fortunæ miſerandum exemplar, qui quadrimulus Aquisgrani coronatus eſt, ejusque imperium, Seculi ſui obprobrium Hildebrandus, omnibus modis peſſum dedit.

XV.

Quis interea curam regni ſuscepit?

Mater illius Agnes, quæ per quinquennium imperium filii optime adminiſtravit.

XVI.

Quid in ejus imperium incidit?

Pontifices (a) Monarchiam, in temporalibus etiam, abſolutam erigunt, operam commodante (b) Hildebrando, qui Gregorius VII. dein dictus eſt.

(a) Non tantum anteceſſores Henrici, ſed & ipſe vindex adhuc acerrimus jurium ſuorum fuit. Cum enim Romani inconſulto Henrico, Hildebrandum in Pontificiam ſedem eveherent, idipſum ægre ferens Imperator, per Legatos, Pontifici id exprobrat: Is verò ea ſe lege illi excuſat, quod nimirum præter mentem Pontificiæ ſedi admotus ſit; ejus tamen confirmationem ſe à Cæſare & petere & exſpectare. Tandem Imperator eum in Pontificatu, inquit *Platina* p. 175. confirmavit, ut tum Imperatorum mos erat. Sed quàm omnia verſa! Ille qui ſedis confirmatione Pontificem ſibi

ſibi devincit, ab eo poſt regno exuitur
Hinc enata illa Monarchia & poteſtas in temporalibus Pontificia, nunquam ex ſcripturis & genuina antiquitate demonſtranda. v. pluribus *Calixti* Apparatu de ſtatu rerum in Eccleſia Occid.

(b) Orbis ille terrarum Titio, (quem *Georgius Dounamus* Epiſcopus Derenſi in Anglia l. 3. de Antich. c. 2. §. 4. *Hellebrand* vocat, quique artium Dæmoniacarum ſtudiis imbutus erat, teſtibus *Bennone* illi coævo, qui tribus libris vitam Hildebrandi complexus eſt, *Mariano Scoto*, l. 3. Chron. *Trithemio*, in monaſt. Hirsgau. *Aventino*, l. 5. Annal. Boj. *Onuphrio Panvinio*, in vita Greg. VII *Carolo Sigonio* l. 9. de Regno Ital. ad ann. 1080. *Abbate Urſbergenſi* in Chron.) tantum facinus adgreſſus eſt, ad quod univerſus orbis obſtupeſcit. Præter omne enim jus in Henricum ſæviens, ultimam manum myſterio iniquitatis, quod hactenus lento gradu ad ſummum faſtigium proceſsit, addidit, telamque quam Bonifacius III. Gregorius II Stephanus III. Paſchalis I. Hadrianus III

Johan

Johannes XII. Stephanus IX. exorsi, pertexuit. Hinc illi execrandi XXVII. Dictatus, digni Baronio visi, ut in omnibus angiportis legantur, (quos vide apud *Calixtum*. disp. de Primatu Rom. Pontif. §. 4.) in quibus inter alia Hildebrandinæ Monarchiæ, sive rectius Tyrannidis, dogmata, & hoc, *quod Pontifici liceat Imperatores deponere*, continetur.

XVII.

Restitit ne Imperator Pontifici?

Non potuit resistere; siquidem in odium adductus erat apud Saxones, Pontifici faventes, qui Henrico, à Gregorio excommunicato, juxta cum Moguntino & Coloniensi Episcopo, Sueviæ Duci Rudolpho, adhærebant.

Quatuor hujus odii causas, non minus prolixe, quam accurate, adfert *Lehman*. Chron. Spir. c. 27.

XVIII.

Factusne Rudolphus Imperator?

Electus utique (a) Forchemiæ: ſed Franci & Rhenani perfidiam Epiſcoporum, & cœterorum deteſtantes, Duce (b) Bullioneo, copias conſcribunt, quibus Imperator Henricus Rudolpho occurrens, fatali (c) prœlio eum apud Martisburgum ſuperavit.

(a) Morabatur ſupplex Pontifici factus in Italia Imperator, eique viæ, in anguſtiis Alpium, à militum præſidiis erant interclusæ. Hinc interea Pontifex Germaniæ Principibus mandat, ut ſi vellent, alium Imperatorem eligant; id quod & factum. Germaniæ namque Principes Forchemiæ Rudolphum Sueviæ Ducem, ſed non conſentientem, in Imperatorem elegerunt, cui Papa Imperialem coronam, cum hac inſcriptione transmiſit

Petra

Petra dedit Petro, Petrus diadema
Rudolpho.

Abdicationis verba, quibus Gregorius adversus Henricum usus est, recitat *Sigonius*. l. 9. de R. I. p. 226.

(b) Fuit hic etiam Dux expeditionis, pro recuperanda terra sancta, adversus Turcas, qui, postquam A. C. 1099. 15. Juli, eâ horâ, qua Servator & salus mundi, morte sua omnia consummanda consummavit, Hierosolymam quarta vice, ab excidio illius sub Vespasiano (anno enim Ch. 129. Hadrianus quicquid illius super fuit, penitus delevit. A. C. 615. sub Heraclio in Persarum, A. C. 636. in Saracenorum potestatem pervenit) vi expugnasset, Dux Hierosolymitanus creatus est. Fusius describunt hanc Expeditionem *Hornius*. Orb. Imp. p. 15. & seqq. *Sigonius*. l. 9. R. I. p. 234. 235. *Matth*. Theat. p. 912.

(c) *Helmodus*, Friderici I. coævus, Presbyter in Buzoen territorii Lubecensis vico, ita Rudolphum, qui dextram in hoc prœlio amiserat, adversam suam fortunam lugentem, Pontificesque ac-

cusantem introducit. l. 1. c. 29. Chron. Slav. *Videtis manum dextram meam de vulnere sauciam. Hac ego juravi Domino Henrico, ut non nocerem ei, nec insidiarer gloriæ ejus. Sed jussio Apostolica* Pontificumque petitio *me ad id deduxit, ut juramenti honorem mihi indebitum usurparem. Quis igitur finis nos exceperit, videtis, quia in manu, unde juramenta violavi, mortale hoc vulnus accepi.* Viderint ergo ii, qui nos ad hoc instigaverunt, qualiter nos duxerint, ne forte deducti simus in præcipitium æternæ damnationis. *Et hoc dicens, cum gravi molestia diem clausit extremum.* Hæc Helmodus.

XIX.

Quid porro contigit?

Insidias struebat Imperatori Gregorius, quæ tamen irritæ fuere. Post verò Paschalis, Gregorii & Urbani successor, filium adversus patrem excitat, à quo imperio exutus

tus, regalibus ornamentis (a) per vim detractis, in exilium abiit, in quo & paulo post mœrore animi confectus, in summa (b) paupertate Leodii decessit, ac per quinquennium, jussu Pontificis, insepultus permansit.

(a) Animadvertens Pontifex, cum complicibus, quorum animus Henrici odio flagrabat, haud ita commode illum deponi posse, non tantum in scelere filii, causæ suæ præsidium quæsivêre, sed & insuper nundinationem, in conferendis dignitatibus Ecclesiasticis, Imperatorem exercuisse, criminabantur. Cum verò, ut se Simoniæ convincerent, per omnia sacra & Moguntinum & Coloniensem rogaret, (v. *Conring.* de Episcop. Germ. §. 51. ubi, quomodo Episcopos Simoniæ eum accusantes, redarguat, ex *Helmoldo* refert.) illi tandem veritatis conscientiæque testimonio adacti, ingenue quidem fassi sunt, *nihil hujus rei gratia illum*

 exegisse

exegisse aut accepisse. Sed cum nemo à Henrici partibus stetisset, vim tandẽ passus est, quam propulsare non potuit. Cedro digna sunt verba, quibus, postquam eum purpura, cœterisque insignibus Moguntinus, aliique spoliârunt, eos affatus est. *Videat Deus*, inquit, *quam inique adversus me agatis. Ego quidem luo peccata adolescentiæ meæ, nempe ignominiam patiens nulli ante Regum illatam: neque vos tamen noxiæ expertes estis, qui contra Regem vestrum insurrexistis, & sacramentum fefellistis quod semel jurastis. Ulciscatur vos Deus, quemadmodum ultus est eum, qui prodidit Christum Dominum suum.* v. & *Lehm* Chr l. 5. c. 39.

(b) De miserrimo illius, cum jam regno motus esset, statu, hæc narrat *Theodorus Engelhusius* in vita Henrici. p. 55. apud *Maderum* Tr. de Antiquit. Brunsvicens. Cæsar, dixit Episcopo Spirensi. *Ecce destitutus regno, nihil mihi melius est, quam Deo servire. Da mihi præbendam apud Spiram; scio enim litteras, & adhuc possum choro subservire, & virgini Mariæ, cujus ingens templum decoravi.*

ravi. Ad quem ille, *per matrem Domini*, inquit, *non faciam.* Tunc Rex suspirans ait: *misereatur tui Deus.* Indeque ad tantam pervenit paupertatem, *quod ocreas exponens pro pane, cum præter gladium nihil haberet, illum filio misit, dicens, si plus sibi reliquisset, plus sibi misisset.*

XX.

Ast quinam doctorum virorum sub his tribus Henricis & Conrado fuerunt?

Cum longe major in eo felicitas hujus, quam superioris Seculi fuerit, inter Principes numerantur, in Oriente, *Theophylactus* Archiepiscopus Bulgarorum, & *Oecumenius.* In Occidente verò, non tantum tres fuere *Anshelmi*, quorum unus Episcopus *Lucensis*, alter *Laudanensis* glossæ interlinearis in scripturam author; tertius, fama eruditionis prio-

ribus major, *Cantaurensis*; sed & profani scriptores plurimi. In his potissimum *Berno* Abbas Augiensis, *Hermannus*, ex membris cōtractis *Contractus* dictus, *Lanfrancus*, *Lambertus* Schafnaburgensis, monachus Hirsfeldensis, *Marianus* Scotus, & *Hugo* Floriacensis monachus. His addendus R. *Salomon Jarchi*.

SECUL. XII.

I.

Quot sunt hujus Seculi Imperatores?

Septem, quorum hic ordo 1. Henricus V. 2. Lotharius Saxo. 3. Conradus III. 4. Fridericus Barbarossa. 5. Henricus VI. 6. Philippus. 7. Otto IV.

Henricus Quintus, proh! perfidus arma capessit
adversus patrem. Post hunc *Lotharius alter* (*Saxo*,

Saxo, rebellantes urbes compeſcit, & illi
Tertius in regno *Conrad* ſucceſsit. Avitis
ſedibus ejecit *Guelphos primus Fridericus.*
Henricus Sextus Calabrum de gente triumphos
rettulit, & clauſit tandem ſua fata veneno.
Aſt illo extincto ſuscepit ſceptra *Philippus.*
Quartum Pontiſicis fulmen turbavit *Ottonem.*
Tertius & quartus, quintus, ſextusque Orienti
Comneni præſunt. *Iſaac* poſt *Angelus* inſtat.

II.

HENRICUS V.

Cui commiſsum eſt imperium ab obitu Henrici IV.

Filio ejus Henrico V. qui patre adhuc ſuperſtite Impe-

 rator

rator factus, sanctissimo jurejurando se obstrinxit, se nolle (a) regnum affectare. Sed hæc omnia insuper habens, nihilominus adversus Patrem arma corripit.

(a) Audiatur modo *Albertus Craus* in vita Henrici V. *dolose contra Patrem suum confœderatus, imperium patre captivo adeptus est; & oppidum Nürnberg obsedit, & funditus destruxit.* v. etiam *Christianus Matth.* Theatr. Hist. p. 909. *Franck.* Chron. Germ. p. 111. fac. b.

III.

Anne & ille Pontificum Tyrannidem est expertus?

Primò quidem Paschalem in ordinem redegit; sed dein multis calamitatibus fractus, non tam Pontificum, quam Principum plerorumque in impe-

imperio pertinaciâ, in postulata Calixti consentire coactus fuit.

IV.

Quæ verò fuere illa?

Nempe ut traderet (a) jura, quæ à Carolo M. Imperatores in Episcopos habebant. Quæ traditio ingens fuit (b) Imperatoriæ Majestatis diminutio.

(a) Paschalis, qui adversus patrem filium concitavit, eo tempore Pontificiæ sedis clavum tenebat. Cum itaque se egregiam, in eo hactenus Henrico V. præstitisse operam putabat, in eam quoque spem adducebatur, fore, ut omnibus juribus imperator lubens cederet, quæ in investitura Pontificum ei competerent. Hujus ergo Synodum Trecensem convocat, vestigiisque Gregorii VII. insistens, omnia decreta de constituendis à Pontifice Episcopis, Abbatibus, aliis,

ſarta tecta haberi vult. Imperator non ſine detrimento imperii id fieri poſse animadvertens, Ratisbonæ in comitiis Principibus rem dijudicandam committit. Poſt Italiam ingreditur, Pontificemque trimeſtri captivitate eo adigit, ut rurſus poteſtate conſtituendorum Epiſcoporum conceſsa, pacta jurejurando firmârit. Altero ſtatim anno poſt, irrita omnia Pontifex faciens, anathematis fulmen in Imperatorem vibrat. Calixto anteceſsoris anathema renovante, Principibusque ab Henrico deficientibus, tandem in comitiis Wormatienſibus A. C. 1122. jus inveſtituræ Imperator Pontifici conceſsit.

(b) Judicium *Conringii*, quem ſæpius hucusque audivimus, rurſus, & hic adferre, non erit ingratum. Ita verò in diſput. de Conſtit. Epiſcop. § 55. loquitur. *Uti Imperatores magnam ſuæ poteſtatis fecerunt jacturam, tot comitatibus & ducatibus imperii, vel pure hæreditariis factis, vel in feudum hæreditarium datis; ita non minor hæc jactura fuit jure conſtituendorum Epiſcoporum abdicato.* videatur elegantiſsimus

gantiſsimus Tr. *Meibomii*, de jure in veſtituræ Epiſcop. in opusculis Hiſt. p. 456. ubi ad amuſsim oſtenditur, quod illud Pontifices per ſummam injuriam Imperatoribus extorſerint.

V.

LOTHARIUS II.

Qua ratione hic imperium eſt conſecutus?

Auxilio Germaniæ Epiſcoporum præcipuorum & Legati Pontificii. Adverſarius verò ſv. æmulus illi erat Conradus Franconiæ Dux, qui tamen Lothario cedere coactus eſt, illo ab Innocentio (a) coronam imperialem accipiente.

(a) Et Papa æmulum habebat Ana-[illegible]m. Lotharius itaque Leodii Innocentium conveniens, illi ſe auxilio adfuturum pollicetur, modo & in vicem Im-

peratoriam coronam obtinere posset. Promisit eam Innocentius, eamque tandem in Laterano, cum in basilica Vaticana, Anacleto eam præsidiis munitam tenente, fieri non posset, Lothario imposuit. v. *VVimphil.* Epit. Rerum Germ. c. 30. p. 26. Frustra verò in repetenda ab Innocentio Episcopali investitura, fuit Lotharius, latius id ostendente *Sigonio.* L. XI. de Regno Ital. p. 264.

VI.

Numquid dignum memoria ejus imperium commendat?

Illud, quod Monialibus ex cœnobio Luthern ejectis, ordinis Benedictini monachos introduxerit, ac Königs Luther adpellârit.

Hactenus, suasu Imperii jus Romanum, quo ante adventum Longobardorum Italia semper usa erat, Lotharium reduxisse pervulgata sententia erat; [illegible] cum ejus rei, nec vola nec vestigium in veterum monumentis, optima fide dignis extet

extet, hinc commentis annumerandam esse, ſolide *Conringius*. tr. de Origine Juris Germ. c. 21. 22. demonſtrat.

VII.

CONRADUS III.

Ex qua familia fuit?

Ex familia Suevica. Fuit enim Franconiæ & Sueviæ Dux, primusque hujus familiæ Imperator.

VIII.

Quem habuit adverſarium?

Henricum Superbum Saxoniæ Bavariæq; Ducem, quem proſcripſit: nihilominus tamen eo defuncto, Guelpho ignominiam fratri illatam vindicaturus, (a) difficillimi quidem belli fax & tuba eſt, ſed Winsbergæ incluſus, elabitur,

bitur, ac tandem Imperatori reconciliatur.

(a) Funestæ factionis nomina Gibellinorum & Guelphorum ex hoc bello enata, nonnullis videtur; quanquam alii ad alia tempora id referant. Paucis verò qui Guelphi, qui Gibellini dicti sint ita habendum. Cæsariani dicti sunt Gibellini; hostes verò Conradi, cum Pontifice facientes Guelphi. v. *Horn.* orb. Imp. p. 15.

IX.

Quâ re memoriam sui posteritati commendavit?

Hactenus per quadraginta fere annos Noribergam desolatam, (a) restaurando ampliorem reddidit, temploque ac plurimis ædificiis exornavit. Insuper (b) suasu Eugenii III. Papæ, & S. Bernhardi Clarevallensis, expeditionem in terram sanctam suscepit.

(a) Ele-

(a) Eleganter rem omnem, sed breviter complectitur, Germaniæ antiquitatum peritissimus, *David* Chytraus part. 2. Chron. Sax. p. 312. *Hanc veterem*, inquit *urbem*, *Henrico IV. Imp. fidam*, *Henricus V. patri rebellis*, *post aliquot obpugnationes captam diripuit*, *ac solo æquavit*, *sic ut 40. fere annos vasta & desolata jaceret. Donec Conradus III. Imp. Anno 1139. (quo etiam cœnobium Heilsbrunn, à Dominis in Heidek & Ottone, Episcopo Bambergensi fundatum est) restaurare urbem, & ambitu, ædificiis ac templis augere, ac ipse eam cum Imperatrice incolere cœpit. Is Scottorum vetus cœnobium, in S. Ægidii honorem ex ruderibus excitatum, Benedictinis attribuit, eoque templo Noribergæ habitans præcipue usus est.*

(b) v. *VVimphling*. de rebus Germ. c. 31.

X.

FRIDERICUS I. BARBAROSSA.

Cur

Cur dictus est Barbarossa?

A barba rubra, quanquam & alii eum Ænobarbum vocent.

XI.

Anne successorem eum sibi voluit esse Conradus?

Neglecto filio, Principibus imperii eum ob singulares virtutes commendavit Conradus: cum itaque fatis concessisset, uno ore omnium (a) Aquisgrani Imperator salutatus est.

(a) De hac electione ita loquitur *Otto Frisingensis*. l. 2. de Frid. gestis. *Anno ab incarnatione Domini MCLII. decedente ab hac luce vernali tempore Bambergæ piissimo Rege Conrado, III Nonas Mai, in oppido Francfurt de tam immensa transalpini regni latitudine, universum, (mirum dictu) Principium robur, non sine quibus-*

quibusdam ex Italia Baronibus, tanquam in unum corpus coaduniri potuit; ubi cum de eligendo Principe primates consultarent, (nam id juris Romani imperii apex, videlicet, non per sanguinis propaginem descendere, sed per Principum electionem Reges creare, sibi tanquam ex singulari vindicat prærogativa) tandem ab omnibus Fridericus Dux Suevorum in regno sublimatur.

XII.

Quid gessit?

Mediolanensem urbem, cujus cives insidias capiti & vitæ Friderici, per quendam emissarium, stultitiam simulantem, struxerant, funditus evertit.

XIII.

Hostes ne habuit Pontifices?

Hadrianus quartus (a) Mediolanenses ad defectionem solli-

ſollicitat; Poſt Alexander eum Anathemate percutit, cum quo tamen rurſus in gratiam rediit.

(a) Semel cum robur ſumſiſset Tyrannis Pontificia, æſtus anathemate feriendi, nec apud Hildebrandinos ſucceſſores deferbuit. Hinc & Paſchalis II. Hadrianus IV. Alexander III. Innocentius III. Gregorius IX. Innocentius IV. Bonifacius VIII. Johannes XXII. Benedictus XII. Clemens VI. Julius II. Clemens VII. Paulus III. Pius V. Sixtus V. Clemens VIII. Paulus IV. & V. fulminibus ſuis terrorem, permultis & Imperatoribus & Regibus aliisque incutere auſi ſunt. Acerrime verò Fridericus cum Hadriano IV. contendit, ſit ne feudum Pontificis Romanum imperium? cumque impotenti cupiditate aliena invadendi flagrans Hadrianus, Epiſtolâ quadam Imperatorem adhortaretur, ut ne amplius rem in controverſiam adduceret, ne latum tamen unguem eicedere voluit. Late hanc cauſam pertractavit *D. Meiſ-*

D. Meisner. Dissert. de jure Pontif. circa Elect. Imperat. §. 21. & seqq. videatur & *Lehmann.* l. 5. c. 67. p. 540.

XIV.

Quibus nam rebus praeclare gestis, memoriam sui posteritati commendavit.

Augustam Vindelicorum (a) liberis imperii civitatibus adscribit. Lubecam (b) privilegiis ornat, (c) expeditionemque Hierosolymitanam cum Philippo Augusto Francorum, & Richardo I. Anglorum, Regibus suscepit, sed infelici successu; siquidem Seleuciae subito obiit.

(a) v. *Faber* in hist. Suev. l. 1. *Knipschild.* Tr. de Civ. Imperii, l. 3. c. 3.

(b) Sub Conrado III. urbs haec aedificata, varias fortunae vices experta usque dum imperii urbs facta est. v. *Myler.* in Archol. c. 19. §. 3. p. 175.

(c) v. *Her-*

(c) v. *Hornius* Orb. Imp. p. 22. *VVimphling*. Epit. rerum Germ. c. 32. *Theodorus* de Niem. apud *Sim. Schard.* p. 279. Quid verò de vulgari adſerto, quod Pontifex collum Imperatoris calcaverit, ſentiendum, non una omnium Virorum ſummorum mens. Potior illorum ſententia videtur, qui id factum eſſe in ſiciantur. v. *Burgold*. ad Inſtr. Pacis. P. 1. diſc. XI. §. 13. p. 274. & *Rupertus* ad Beſ. p. 665. & ſeqq.

XV.

Quid alias in hac tempora incidit?

Exorti ſunt ſub imperio Friderici (a) Waldenſes A. C. 1170. ac Gratianus (b) decretorum opus Pontifici Eugenio III. confirmandum offert.

(a) Varia illorum occurrunt nomina partim ignominiæ cauſa, partim ex loco aliisque de cauſis iis impoſita. Jam enim Waldenſes, jam Albingenſes, Bulgari,

Caignar-

Caignardi, Cathari, Fratricelli, Gazari, Insabbati, Leonistæ, Passagenæ, Patareni, Pauperes de Lugduno, Piccardi, Ribaldi, Taboritæ, Tholosates, Turpilupini, Ultramontani dicuntur, quorum nominum omnium (quanquam & alia adhuc sint) rationes, vide apud *Samuel Maresium.* Dissert, Select. vol. 2. p. 586. Waldenses vero dicti sunt à Petro Waldo, cive Lugdunensi, qui cum maximis copiis circumflueret, subita cujusdam amicorum, quo cum erat, morte perterritus, vitæ emendandæ curam suscepit, prædicationisque munus sibi sumens, per plateas ac vicos Evangelium interpretabatur. Magnus brevi tempore hominum numerus ad eum confluxit; cumque asseclæ illius, inter alia dogmata Romanam Ecclesiam, Babylonicam meretricem esse, aperte profiterentur, non tantum damnati, sed etiam acerbissima quæque perpessi sunt. Bellum quasi sacrum adversus eos concitavit Innocentius III. (postquam jam A. C. 1200. Dominicus, Dominicanorum ordinis antesignanus, satis in eos sæviisset) eique

Ducem

Ducem dedit Simon, Comitem Montisfortensem, quem A. C. 1218. victoriâ insigni Waldenses potiti, occiderunt. Plura qui de Waldensibus scire desiderat, adeat *Thuanum* vol. 1. l. 6. ad Annum 1548. *Excerpta ex Thuano* Authoris incogniti Ulmæ impressa. s. 6. n. 11. p. 127. *D. Calixtum* Append. ad dissert. de Script. Sacra. §. 18. & seqq. *D. Dorsch.* dissert. de Authorit. Eccl. ad dictum August. Consid. 6. p. 29. *Dn. Beer.* Gründliche Widerlegung contra Erb. p. 235. seqq. *Maresium* disputat. binis. l. c. *Strauch.* dissert. de Waldensibus. *Hist. Eccl. Goth.* l. 2. c. 4. s. 5. n. 2. 3.

(b) Ante Gratianum, Ivo Carnotensis Episcopus, qui circa annum Christi 1114. floruit, volumen Decretorum scripsit; sed illi palmam dubiam fecit Gratianus, natione Tuscus, Monachus Benedictinus, qui ex diversis Conciliorum canonibus, Patrum ac Pontificum decretis, jus Canonicum sv. Pontificium quoad priorem partem A. C. 1151. in cœnobio Felicis & Naboris collegit. Tribus prior pars constat partibus I. Distinctiones

nes habet centum. 2. Causas 35. cum quæstionibus. 3. Distinctiones V. de Consecrat. v. *Gerhardus Mair*. Biblioth. Theol. l. 1. c. 12. §. 7. Huic parti A. C. 1230. altera, nempe Decretalium Gregorii IX. accessit. Tandem verò tertia parte rursus in tres portiones distributa, completum est. Integram de jure Canonico dissert, suis inseruit *Maresius*, vol. 2. p. 344.

XVI.

HENRICUS VI. PHILIPPUS. OTTO IV.

Quem successorem imperii habuit Fridericus.

Henricum filium primogenitum, qui Siciliam & Apuliam imperio conjunxit, saltimque per septem annos imperium administravit; Successorem habens Philippum

O fra-

fratrem, cujus æmulus erat Otto IV. qui anno imperii 9. à Wittelsbachio in conclavi vulneratus, interiit.

Quæ ad horum res imperii cognoscendas faciunt, solide exposuit *Meibomius*, in Apologia, quam pro Ottone IV. adversus Ursbergensem, Cuspinianum, & Munsterum, aliosque instituit, ac in ejus Opusc. Histor. p. 326. reperitur, cui adde *Lehm.* l. 5. c. 66. & sqq. Unum addendum videtur, memoria dignum, quod nempe A. C. 1189. Teutonicus ordo cœperit, quem dein rogatu Heinrici VI. Celestinus III. confirmavit.

XVII.

Suntne & Scriptores quidam, qui in hoc seculo claruere?

Plurimi quidem fuère, sed maxime celebres isti sunt. Nempe Henrici V. & Lotharii temporibus claruère, *Sigber-*

bertus, Gemblacensis in Brabantia monachus, *Rupertus* abbas Tuitiensis, & *Zonaras* (a) Historicus Græcus. Sub Conrado & Friderico Barbarossa floruère, *Otto Frisingensis* Episcopus, Imperatorio sanguine natus (b), & *Bernhardus* Abbas Claræuallensis, cui σύγχρονος Hugo de S. Victore. Pertinent ad hæc tempora etiam *Petrus Lombardus* (c) Parisiensis Episcopus, Magister sententiarum; *Averroes* Cordubensis (d) ac *Godefridus* Viterbiensis Presbyter Conrado III. & Friderico I. à sacris scriniis. Sub Henrico VI. & Philippo vixit *Saxo* Grammaticus, Rotschildensis in Dania præpositus.

(a) Fuit in imperio Constantino-


politano vir magnæ authoritatis, post Monachus factus, historiam universalem scripsit, in qua majorem curam *Vossius* desiderat, v. de Script. Græcis l. 2. c. 27.

(b) V. Gerh. Patrol. p. 578. *Vossius* de Script. Lat. l. 2. c. 53.

(c) Hunc Scholasticorum ordo Patrem agnoscit. Magister autem sententiarum ea propter vocatus, quod quatuor libris sententias veterum Theologorum, præsertim Augustini, fuerit complexus. Hinc & in eosdem libros, Scholastici seculi XIII. ac subsequentium, commentaria scripserunt. Acerbius tamen in eum invehebatur Joachimus, Abbas Florensis cœnobii; sed Innocentius III. impetum hunc in Concilio Lateranensi Anno M. CC. XV. ne latius evagaretur, cohibuit. Continentur verò in primo libro, sententiæ Patrum de Trinitate & unitate Dei: in secundo de creatione Angelorum, & hominum, & de gratia Dei. In tertio, de incarnatione verbi, de virtutibus & vitiis. In quarto, de Sacramentis & novissimis.

(d) Averroes, qui Aristotelem expli-

plicare adgressus est, viribus impar onus in se suscepit, nec immerito taxatur ea propter à *Ludovico Vive* l.5. corrupt. art. qui videatur.



SECUL. XIII.

I.

Qui sunt hujus Seculi Imperatores?

Ob longinquum interregni tempus, quatuor saltim numerantur genuini Imperatores, quorum 1. Fridericus II. 2. Conradus IV. 3. Rudolphus I. 4. Adolphus Nassovius.

Ottone expulsso, *Fridericus* laude *secundus*
nulli, præclaram, doctrinâ & Marte per orbem
dispergit famam. Saltim tres præfuit annos
Conradus quartus. Multas Germania turbas

 sensit

sensit, sed pacem reddit post bella *Rudolphus*,
Atlas Austriacæ gentis. Succedit *Adolphus*.
Ast Orientis erat variis concessa potestas
Angelus, Alexius, Murzuflus, Balduvinusque,
Henricus, Petrus, Robertus, jamque *secundus*
Balduvinus cepit. Sed post hunc sunt *Theodorus*
Lascaris, ac *Ducas*, *Theodorus*, *Lascaris alter*.
His successores *Joannes* cum *Theodoro*,
ac *Michael Palæologus*, *Comnenini* ortu.

II.

FRIDRICUS II.

Qualis fuit Imperator?

Sapiens ac fortis, strenuusque imperii adsertor; adversus eum tamen duo Anti-Cæsares,

ſares, Henricus Thuringiæ Landgravius, & Wilhelmus Hollandiæ comes, inſurrexére.

III.

Qua fortuna regnavit?

Non meliori quam anteceſsores; ſiquidem anathemate à tribus Pontificibus, Honorio, Gregorio IX. & Innocentio notatus eſt.

Coronam tamen imperatoriam Romæ accepit, ſed non gratis; ampliſsimis enim muneribus Imperator Pontifici declaravit, quantum Eccleſiæ cuperet. Poſt inſtinctu Pontificis Honorii expeditionem adverſus Saracenos A. C. 1228. feliciter ſuſcepit, factaque inter eum & Saladinum pace, Rex Hieroſolymitanus ſolenni ritu ſalutatur. Fortitudinem ejus admiratus *VVimphlingius*, eum Epit. Rer. Germ. c. 39. Hannibali, Alexandro Magno, longe præfert, ac his verbis caput hoc claudit: *Fridericum multo poſt tem-*

pore, nec mortuum quidem creditum est, cui si arma in Christi hostes ferre, Itali impedimento non fuissent, sique minus Pontifices invasisset, jure maximi Imperatoris nomen apud Asiaticos obtinuisset, immortalique gloria dignus censeretur. *Langius* Monachus apud *Lehm:* Chron. l. 5. c. 78. hoc eum elogio decorat, *fuit potentissimus Imperator, Italiæ, Sardiniæ, Siciliæ, Jerusalem & Sueviæ, quò nullus magnificentior tenuit imperium à Carolo M. usque ad eum.*

IV.

Fuitne studiorum amicus.

Maxime, cura enim sumtibusque ejus, ac Parario Othone Frisingense, Ptolomæus, Aristoteles (a), Avicenna (b) & Galenus, (c) in Latinam linguam translati.

(a) Philosophos partim de Græco, partim de Arabico, Latine versos, Scholæ Philosophicæ Bononiensis, studiis consecravit, cujus ea de re Epistolam, quæ apud

apud *Petrum de Vineis*, Cæſareum Cancellarium, extat, adducit *Conringius*, diſſert. 3. de Antiquit. Acad. p. 95. v. & *Aventi*. l. 7. Annal. Boj. *Radevic.* l. 2. de geſtis Frid. c. 11. Aſt longe meliorem his temporibus in Italia Ariſtotelis ſcripta, quam in Gallia, ſunt experta fortunam. Illic enim A. C. 1209. in Concilio Senonenſi, non tantum metaphyſici libri damnati, ſed & flammis addicti ſunt. Sed cum A. C. 1624. rurſus univerſa Ariſtotelis doctrina publice Lutetiæ Pariſiorum obpugnaretur, Pariſienſe SCTum adverſarios illius compeſcuit.

(b) Vulgo ita dicitur, cum alias Abuli Abinſceni, nomen illi ſit. Claruit ſub Conrado II. & Henrico III. ipſique Galeno, ob elegantem methodum, quâ medicinam complexus eſt, eum antecellere, putat *Voſsius* de Philoſ. c. 14. Utrum autem feliciter in lectione Ariſtotelis verſatus ſit, de eo videndus *Cœlius Rhod.* l. 2. lect. Antiq. c. 2. Librum eum & de Alchymia ſcripſiſse tradit *Conringius* de Hermet. med. c. 26. p. 372.

(c) Claruit temporibus Trajani &

Antonini Pii. Dictus autem est, Galenus à γαλήνη tranquillitate, qui, cum prius animum Philosophiæ studiis egregie præparasset, dein demum medicinæ se addixit.

V.

Quid præterea de eo observandum?

Illud, quod Academiam Viennensem A. C. 1237. erexerit, quæ tamen cum ipso non multo post rursus concidit, nec nisi demum año 1360. pristinæ integritati restituta.

Leges, quas scholæ Salernitanæ, de Medicis, (quos ad medicinam exercendam, nisi prius examinum censuram subiisent, admitti noluit) chirurgis & Pharmacopæis, tulit, exhibet *Conringius* dissert. de Antiquit. Acad. p. 55. 56. & p. 102. 103. 104.

VI.

CONRADUS IV.

Quis succeſſit vero huic Friderico?

Vivus adhuc, octo annorum filium, jam regem Hieroſolymæ, Romanorum Regem Principibus conſentientibus conſtituit. Sed Epiſcopi quidam (a) Wilhelmum Hollandiæ comitem, (cui perpetuum dein bellum cum Conrado fuit) adverſus eum elegére. Tribus his defunctis, ob civilia bella à Pontificibus mota, ac diſsenſiones Germanorum Principum (b) interregnum XVIII. annorum cœpit.

(a) Septem-viralibus comitiis electum eſſe Wilhelmum, cum Trithemio,

Petavio l. 9. c. 1. Rat. temporis, videtur. Aſt veterum teſtimoniis eum in eo deſtitui, non eſt dubium. Quid? quod *Lehmannus*, dum hujus electionem recenſet, plurium, in quibus tres ſaltim Archiepiscopi, nimirum Arnoldus Trevirenſis, Conradus Colonienſis, Gebhardus Moguntinenſis, mentionem faciat. Accedit, quod demum poſt Friderici II. tempora, in diuturno illo interregno Septemviri cœperint.

(b) Cum ipſe Moguntinus Elector in Orat. quam ad Principes Electores, in ipſius Caroli V. Electione habuit, 18. ſaltim annorum ſpatio, tempus interregni definiat, malumus illum, quam eos, qui cum Sleidano 22. volunt, ſequi. Verba illius recitat *Philippus Mel.* communis ille Germaniæ Præceptor, in Hiſtoria Elect. Coron. Caroli V. p. 6. quæ primum ſub nomine Georgii Sabini prodiit, quæ cum faciem iſtorum & ſuperiorum quoque temporum deſcribant, his addere à ſcopo non alienum. Poſtquam itaque mala ex gravi illo bello, inter Henricum IV. & Rudolphum Sueviæ ducem pul-

pullulantia, enumerasset, hunc in modum pergit. *Ad hæc mala accessit, & perturbatio religionum & schisma. Secutum est aliud bellum ex dissimilitudine suffragiorum in Electione, inter Conradum Suevum, & Lotharium Saxonem. Quod, postquam multa urbes in Imperio vi capta sunt, authoritate Divi Bernhardi sedatum est. Exarsit multo crudelius bellum inter Philippum & Ottonem IV. propter Electorum discordiam. Aliquot præliis victus Otto, fugit ex Germania in Angliam. Postea adversus Fridericum secundum à quibusdam electus est, Henricus Landgravius Thuringiæ, qui in obsidione Ulmæ, ex vulnere periit. Secutum est interregnum, quod duravit ferme annos octodecim, in quo nonnulli Electores accersiverunt in Germaniam ad Imperium Richardum, fratrem Regis Britanniæ. Interea cum sine Rege esset Resp. non solum defecerunt in Italia civitates, sed etiam in contemtum apud omnes venit Germanica natio.* Hæc Moguntinus. Qui vero competitores, durante interregno, imperii fuerint, eos ordine recenset *Pezel*, mellif. Hist. part. 3. v. c. 17. p. 306.

nempe I. Henricus Thuringiæ Landgravius. II. Conradus. III. Wilhelmus. IV. Alfonſus. V. Richardus.

VII.

Ad quem autem poſt tantas turbas delatum eſt imperium?

Ad Rudolphum I. Habsburgenſem, Auſtriacæ familiæ parentem. Juſſu enim Gregorii X. Pontificis, Electores de Imperatore creando conſilia inierunt.

VIII.

RUDOLPHUS I. HABSBURGENSIS.

Ex qua familia fuit Rudolphus?

Ex antiquiſsima Oſt-Francorum Regum familia.

IX.

Quid, antequam Imperator creatus eſt, fuit?

Comes Habsburgenſis, ac

Ottocari Regis Bohemiæ, Equitum Magiſter.

X.

Qua ratione electus eſt?

Alii cum quoque adeſſent (a) imperii candidati, placuit tandem Principibus, excepto Ottocaro, Rudolphus, manu fortis, ingenio florens, eumque A. C. 1273. & ignarum & abſentem, Imperatorem (b) deſignant.

(a) Non tamen ſtatim omnibus Francofurdi congregatis Principibus, ut Rudolphum eligerent, una erat mens, ſed aliis Alphonſus Caſtiliæ Rex, aliis Richardus Cornubiæ comes, dignus videbatur, qui Imperator eſſet. Mutius l. 21. hujus rei teſtis, cujus hæc ſunt verba: *Conveniunt Francofurdiæ Principes, ſed in eligendo Imperatore diſcordant, quidam*

enim

enim Alphonſum regem Caſtellæ, alii Richardum, Cornubiæ comitem, volebant Imperatorem; nam Electores Principes corrupti erant muneribus ab illis duobus. Coloniensis, Trevirenſis, Palatinus ſua ſuffragia vendiderunt Richardo, qui Baſileæ erat. Alii electores reliqui Alphonſum eligebunt, muneribus ab eo acceptis.

(b) Poſt quam coronam Aquisgrani accepiſset, à Principibus fidei juramentum exegit: quod quam ſingulari plane ratione præſtiterint, verbis *Eberhardi Althaenſis* recitat Anonymus Exercit 12. ad Sever. Monzamb. §. 6 p. 147. *Statim,* inquit, *exegit à Principibus, Clericis, ac Laicis fidei juramentum, quod cum recuſarent propter ſceptri abſentiam, ipſe electus ſignum crucis accipiens, talia dixiſse fertur. Ecce ſignum, in quo nos & totus mundus redemtus, & hoc ſigno utamur loco ſceptri; & deoſculata cruce, omnes Principes tam ſpirituales, quam ſeculares, ipſam crucem loco ſceptri oſculantes, recipientes feuda ſibi juramentum fidelitatis præſtiterunt.*

XI.

XI.

Qualis itaque fuit Imperator?

Maximaſane laude dignus, quippe qui non tantum Auſtriacæ familiæ, quæ pleroſq; nobis hactenus Imperatores dedit, fundamenta jecit, ſed & (a) Germaniam à latronibus, quibus ſcatebat, purgavit, Ottocarum (b) ſuperavit, Victorioſiq; nomen obtinuit, quod in 14. prœliis ſemper victor diſceſsiſset.

(a) Hoc non ſolum, ſed & alio nomine debet Rudolpho Germania, quod nempe linguam Germanicam latinæ anteponere voluerit. Carolus M. majeſtatem illius penſi habens, ut ſequeſtrata barbarie purior incederet, Grammaticam Germanicam, quam ſcribendam ſuscepit,

cepit, ad umbilicum perduxisset, nisi & negotiorum imperii moles, & tandem ipsa mors, illustres conatus interrupisset, v. *Crusius* Annal. Suev. part. 2. l. 1. c. 18. *Aventinus* Annal. Boj. p. 220. Vestigia ejus anxio pede pressit Rudolphus, cui cum lingua Germanica in deliciis esset, ea etiam omnia instrumenta confici, in primis imperii comitiis, Noribergæ habitis, jussit. Edictum, quod apud *Gold.* Tom. 1. Const. Imp. p. 371. extat, ita sese habet, *Omnia mandata, edicta, privilegia, pacta dotalia, in Theutonica lingua, & non ut antea, in Latina concipiantur.*

(b) Cum elatius in Austria sese gereret, plus vice simplici eum dehortatur Rudolphus. Ægre id quidem ferebat Ottocarus, nihilotamen minus, Superiorem eum agnoscere cogebatur, quem hactenus inferioris conditionis putârat. Quo vero insigni dolo, sibi supplicem Ottocarum Rudolphus reddiderit, videsis *Cuspinianum* in Rudolpho p. 439.

XII.

Desideravitne coronam à Pontifice?

Terrebant eum vestigia alio-

liorum, qui Romam adivère, ſed parum feliciter redière. Hinc non neceſsarium eſse, ut à Pontifice coronaretur, exiſtimans, in Germania permanſit.

XIII.

ADOLPHUS.

Ad quem translatum eſt imperium poſt Rudolphum?

Flagitavit ab Electoribus, ut filium ſuum Albertum Regem Romanorum crearent, non tamen voti compos factus eſt. Nam Moguntinus Adolpho Naſsovio favens, illum Imperatorem elegit. Solus vero Ludovicus Bavarus, Albertum Auſtriacum nominaverat.

XIV.

XIV.

Bene ne imperium admini- ſtravit?

Erat Princeps iniquus & in- juſtus, quiquod provincias im- perii devaſtaret, in odium (a) Germaniæ procerum incidit. Quæ cauſa, ut Albertum Ru- dolphi I. filium ad imperium vocarent, à quo in civili hoc Germaniæ bello ad Worma- tiam, Adolphus interficitur.

(a) Conjurarunt nonnulli in Adol- phum, in quibus præcipui erant Conra- dus Liechtenbergius, Gerhardus Eppen- ſteinius Epiſcopi, & Moguntinus; ſed hi omnes perfidiæ pœnas poſt dederunt, nemoque fere unus ex his, morte ſua obiit. Pluribus de Adolpho Naſſovio, ſed nimio in eum affectu abreptus, egit *Arnoldus Montanus* in Domo Auriaco Naſſovia. p. 18. ſqq. Accuratiſsime verò Hiſto-

Hiſtoriam Adolphi, ex Colmarienſi & M. Alberti Chronicis, Scriptoribus horum temporum, contexuit *Lehmannus* l. 5. Chron. ſpir. c. 118.

XV.

Qui ſeculi hujus ſcriptores inſigniores fuerunt?


Antiqua in rebus fidei ſimplicitate ſublata, ſcepticiſmus, ſtudium nugarum & quæſtionum quisquiliæ genuinam veritatem, plusquam Cimmeriis tenebris involvère. Hinc Scholaſticorum realium, conceptualium, Rationalium, & loquentium turmæ. Prodiere itaque in hoc ſeculo ſub Friderico *Raymundus* de penna forti, *Hugo Barcinonen-*

nonensis Cardinalis, Scriptis in universam scripturam clarus. *Hugo* de S. Caro Burgundus, primus concordantiarum Author, *Humbertus* Viennensis, *Vincentius* Bellovacensis. Durante interregno, exortus est (a) *Albertus*, ob eximiam eruditionem Magnus dictus, Episcopus Ratisbonensis, hunc sequitur discipulus ejus *Thomas* Aquinas, *Bonaventura*, *Durandus*, *Ægidius Romanus*, *Petrus* Hispanus Portugalensis. Inter Historicos horum temporum præcipui *Martinus Polonus*, *Conradus* à Lichtenau, Abbas Ursbergensis, *Matthæus Parisius*, & *Albertus Stadensis*.

(a) Insignem Magum fuisse, ex eo evincere conantur, quod A. C. 1248.

media

media hyeme vernas amœnitates reduxiſſet, quam quidem hiſtoriatam brevibus Cuſpinianus p. 431. ſed accuratius *Lehmannus* l. 5 c. 90. p. 602. recenſent, qua fide ipſe viderit; nam longe ante Alberti tempora rumorem fabulæ hujus invaluiſse, *Gold.* adſerit, qui inſuper plurimos innocentiæ Alberti teſtes ſiſtit, in Tract. Rechtliches Bedencken von Confiſcat. der Zauberer und Hexen-Güter / p. 24. addatur *VVimphling*. Epit. Rerum Germ. c. 40. p. 42. Plures Doctorum Scholaſticorum, qui noſse cupit, evolvat. *Hiſt. Eccl. Goth.* l. 2. c. 4. ſ. 5. n. 9. p. 646. *Mair.* Biblioth. Theol. l. 1. c. 14. illuſtre autem de ſcholaſticâ, Theologia judicium v. apud *Calixtum*, App. p. 238.



SECUL. XIV.

I.

Qui ſunt Seculi hujus Imperatores?

Inter Pontificiam Tyrannidem,

dem, quæ neque hoc seculo cessavit, nihilominus Austriaca potentia crevit, ac sui fuere Romano imperio Imperatores. 1. Albertus. 2. Henricus VII. Lüzelburgensis. 3. Ludovicus IV. & Fridericus Austriacus. 4. Carolus IV. 5. Wenceslaus.

Fraudibus obpressi sceleratis *Austrius Albert.*
Septimus Henricus, Monachus cui mixta venena
corpore cum Christi dedit. Hinc *quintus Ludovicus,*
Carolus & quartus Bohemo sanguine natus.
Degener huic gnatus, regni spoliatur honore,
VVenceslaus iners Baccheïa munera curans.
Tendit ad interitum Constantinopolitanum
regnum, quod quatuor Palæologos veneratur.

AL-

II.

ALBERTUS.

Quis fuit Albertus?

Filius Rudolphi I. qui postquam Adolphum Nassovium interfecit, imperium repugnante licet cum hasta & scuto Bonifacio VIII. vulpe, Leone, cane, est consecutus.

III.

Ubi electus fuit?

Francofurti, ac dein Aquisgrani coronatus à Wicholdo Archiepiscopo Coloniensi. Tandem exorta inter Pontificem & Philippum Galliæ Regem, qui nuptias Eduardi Anglorum Regis, & filiæ Co-

mitis Flandriæ turbàrat, controversiâ, electionem ejus Pontifex (a) sartam tectam esse voluit.

(a) Quando ergo *VVimphlingius* Epit. Rerum Germ. c. 42. ait, *Pontificem regnum Franciæ, Alberto adsignasse*, non alia ratione intelligendum, quam quod illud regnum obtinuerit, ex quo adversus Philippum se arma suscepturum, illi promiserat. Crantum l. 8. Sax. c. 36. *Bonifacius Alberti electionem comprobavit eo pacto, si Regem Franciæ impugnans, se regem gereret, & Romanorum, & Francorum.*

IV.

Cum quibus porro bella gessit?

Fœderis inter se societatem inivêre Moguntinus, Trevirensis, Coloniensis, aliique principes. Hos itaque adgressus in ordinem redegit.

V. *Quid*

V.

Quid sub eo contigit?

Papa Bonifacius (a) VIII. ne deesset Patrimonio Petri pecunia, annum Christi 1300. primum Jubilæum constituit, peccatorum veniam omnibus indulgens, qui festo natalis Christi Romæ sancta loca viserent.

(a) Elegans de Bonifacio ἐπίκεισις *Platinæ*, scriptoris non sublestæ fidei, quo nomine *Bellarminus* l. 3. de Pœnit. c. 13. eum reprehendit, sed diligentis & veritati litantis (v. testimonium de eo *Hieronymi Balbi*, apud *Gerh.* Patrol. p. 686.) hæc est. *Imperatoribus*, *Regibus*, *Principibus*, *nationibus*, *populis potius terrorem*, *quem religionem injicere conabatur*, *aurum undique conquisitum plusquam dici potest sitiens.* Cœterum animadvertentes Bonifacii Successores, hanc illi aleam non male cecidisse, nec sibi

quoque turpe putarunt, his modis pecuniæ insidias struere. Ad rem itaque magis attentus *Clemens VI. periodum centum annorum à Bonifacio constitutam, in quinquaginta annos mutavit*, ac medio seculi hujus, anno nempe 1350. *alterum Jubilaum* indixit. *Tertius Jubilaus* celebrandus erat anno 1390. Enimvero cum *Urbanus VI.* qui eum *ex quinquagesimo, ad trigesimum tertium reduxerat*, nundinis his adesse non posset, (nam mors eum occupaverat) hinc Bonifacius IX. *quartum* indixit A. C. 1400. *Quintum* A. C. 1430. Nicolaus V. celebravit, sed cum jam annus 1475. adesset, *Paulusq; II.* qui *rursus periodum Jubilaum annis 25. incluserat*, huncque annum his sacris destinârat, decessisset, omnes quæ exinde redibant opes, Sixto quarto reliquit: Fuitque is primus, qui anno 25. *Jubilaum sextum* celebravit. *Septimus* incidit in A. C. 1500. *Octavus* 1525. *Nono* insignis fuit annus 1550. *Decimo* 1575 *Undecimo* 1600. *Duodecimo* 1625. *Decimotertio* 1650. Quibus autem solennibus peragatur, docet *Paulus Piasecius* Episcopus

Præ-

Præmisliensis, (cujus integram narrationem invenies, apud *D. Cellarium* disp. de Ecclesia, §. 62.) & *Clasen* Tr. Germ. Nothdürfftigen Bericht von dem in Chur-Sachsen angestellten Freud-Danck- und Jubel-Fest.

VI.

HENRICUS VII. LÜZELBURG.

Quomodo Henricus ad imperium pervenit?

Interfecto non procul à Vindonissa Alberto, concordibus suffragiis ab Electoribus, ut laboranti imperio succurreret, Francofurti ad imperium vocatus est.

VII.

Quid ejus temporibus factum?

Bellum Würtenbergicum excitavit Eberhardus Wür-

tenbergensis Comes, hostiles spiritus adversus imperii civitates gerens.

VIII.

Imperio diu ne præfuit?

Vix quinquennium; Florentiæ enim à Monacho Dominicano, Bernhardo, à Quelphis subornato, veneno infecta hostia & calice extinctus est.

IX.

LUDOVICUS IV. BAVARUS.

Quis surrogatus fuit Henrico?

Ludovicus Bavarus, qui adversarium habuit Fridericum Austriæ Ducem, quem tandem superavit, ac triennium carceri inclusit.

Sudes

Sudes est in oculis Romanis Pontificibus, hujus Imperatoris de negligenda Coronatione Romana constitutio, quam ex *Goldasti* Tom. I. Const. Imp. p. 336. hîc recensere, non abs re. *De Consilio & consensu Electorum, & aliorum imperii Principum declaramus, quod Imperialis dignitas & potestas est immediate à solo Deo: & quod de jure & imperii concorditer, vel majori parte eorundem, statim ex sola electione est Rex novus & Imperator Romanorum censendus, & nominandus, & eidem ab omnibus Imperio subjectis obediri, & administrandi jura imperii, & cætera faciendi, quæ ad Imperatorem verum pertinent, plenariam habet potestatem, nec Papæ, sive sedis Apostolicæ, aut alicujus alterius adprobatione, confirmatione, authoritate indiget vel consensu*, v. supra p. 253. Qui verò motus in Germania, ex hoc, inter Ludovicum & Fridericum, dissidio exorti, de eo videndus *Burgold.* part. 1. disc. 12. p. 280.

X.

Habuitne & Pontificem sibi adversarium?

Utique; ſemper tamen maſcule ſeſe obpoſuit; ac cum à Johanne XX. excommunicaretur, Imperatoriam dignitatem, publico ex divinis & humanis litteris ſcripto defendit.

v. *Hiſt. Eccl. Goth.* l. 2. c. 4. ſ. 6. n. 4. p. 669. & *Kipp.* contra Aubri p. 156.

XI.

CAROLUS IV.

Quem habuit ſucceſſorem?

Carolum IV. Ludovico enim inſtinctu Pontificum, quibus maxime cupiebat, obpoſitus; poſt ejus tamen obitum, licet plurimos (a) haberet adverſarios, tandem Francofurti electus & confirmatus eſt,

est, cui etiam urbi dein nundinas & autumnales & vernales confirmavit.

(a) Nubes sese superstite adhuc Ludovico contrahebant, quæ post obitum ejus dedére tempestatem. Illo siquidem defuncto Carolus Principibus displicebat: quare alium, nempe Güntherum Suarzburgensem Comitē eligunt, quem cum vi Carolus obpugnare non posset, dolo tamen superavit. Quod vero *Burgoldensis* part. 1. disc. 12. p. 280. ad Instr. Pacis ait, exspectasse Güntherum, magno Francofortum ducto exercitu Carolum, ut cum eo, de imperio, *ut moris erat*, decertaret, gratis dicitur; nihil enim hujus moris apud antiquos, & horum temporum Historicos extitisse, neque in usu fuisse, testatur *Lehmannus*, Germaniæ antiquitatum promus condus, l. 7. Chron. Spir. c. 34.

XII.

Favebat ne Pontifici?

Liberalitate (a) animos In-

nocentii VI. & Urbani VI. sibi devincire allaborans, Coronam obtinuit. Statim tamen Pontifice ita volente, Italia & Roma cessit.

(a) Binas illius obligationes, quibus tamen imperii authoritas non est exhausta, produxit *Conringius* c. 20. de Fin. p. 426.

XIII.

Estne hic Author aureæ bullæ?

Maxime (a) eamque A. C. 1356. Noribergæ 10. Januarii publicavit.

(a) Bulla apud veteres nihil erat aliud, quam cordis figura, ex auro vel argento facta, in qua contra fascinum contenta erant remedia, quæ pueris de collo suspendebatur, ut in pectus descenderet, v. *Fungerus* in Lex p. 139. *Lotichius* ad Petr. p. 221. Post vero traducta est hæc vox, ad significandas litteras ab Imperatoribus vel Pontificibus profectas, vel ad sigilla lit-

litteris ipsis adpensa. Hinc, quia & constitutioni huic Carolinæ, aureum sigillum adpensum, κατ᾽ ἐξοχὴν aurea bulla dicitur. Autographum summa observantia Francofurti ad Mœnum asservatur. Hæc autem constitutio, quam cum procerum imperii consensu condidit Carolus, quoad partem priorem, à titulo nempe 1. usque ad 24. Noribergæ est composita, reliqua Metis fuerunt adjecta. Plura videantur apud *Conring*. de Orig. J. G. c. 27. *Carpzov*. de L. R. c. 3. s. 2. *Bœcl*. Conduct. Carol. qui accurate judicium Possevini, de aurea bulla examinat. *Horn*. Orb. Imp. p. 40. *Burgold*. ad Instr. Pac. part. 3. d. 1. n. 3. p. 4.

XIV.

Quid eâ comprehenditur?

Leges ritusque in electione Imperatoria, ab Electoribus & ordinibus servandi.

XV.

Numne Noribergensibus favebat?

Magno eos favore comple-

xus eſt, (a) urbem amplificavit, ac Optimates in Rep. ut ſoli (b) imperium tenerent confirmavit.

(a) Videndus hic *Chytræus* Chron. Sax. part. 2. p. 314. (b) *Rupertus* ad Beſ. p. 703.

XVI.

Habuitne filium?

Wenceslaus filius erat Caroli IV. qui biennium ante obitum patris Imperator, multis è patrimonio imperii emtis, pecuniâque extortis ſuffragiis, creatus eſt.

XVII.

Quidnam alias circa ejus tempora factum?

Exortus eſt (a) Wiclefus Anglus, qui multa pie contra opiniones Chriſtianas perperam receptas, ſcripſit.

(a) Do-

(a) Doctor erat Theologus Oxoniensis, qui cum adversus impotentem Pontificum dominationem Clericorumque luxum à Carolo IV. taxatum, v. *Burg.* part. 1. Inst. Pac. disc. 1. p. 5. calamum strinxisset, mortuus effossus est, cadaverq; ejus in cineres redactum A.C. 1428. Et hæc causa est cur hæreticus omnium maximus Pontificiis audit, cujusque libri flammis adjudicati. *Johannes Dubravius* Olomüzensis Episcopus, Hist. Boëm. l. 23. p. 223. *Sbinco Archiepiscopus, vir magni animi Pragam descendit, vulgatoque regio edicto, omnes citari jussit, qui descriptum VViclefi librum penes se haberent. Amplius ducenti fuerunt allati, atque in tanta æstimatione habiti, ut major illorum numerus fibulis argenteis, inauratisque infibularentur, cæterum ad unum omnes igne consumti.* Addatur his *Kipping.* ad Papp. p. 253. *Hist. Eccl. Goth.* l. 2. c. 4. f. 6. p. 679. *Kromayr.* Hist. Eccl. p. 526. *Boxhorn.* H. U. p. 884.

XVIII.

WENCESLAUS.

Fuitne dignus imperio?

Minime; monſtrum enim erat hominis, idque præſagiebant omnes, qui baptismatis illius omina obſervabant.

XIX.

Quid ergo ibi contigit?

Baptizandus aquam & aram cœno fœdavit, cumque aqua calefieret, incendium exortum, ædem paſtoralem D. Sebaldi conſumſit.

XX.

Nihil ergo præclari de eo recenſeri poteſt?

Cum in vulgus nota ſint ejus ſcelera, illo uno tamen laudem promeritus eſt, quod de

de Papæ & Sacerdotum corrupto ſtatu emendando, edictum promulgarit.

Quod olim Pontifices Imperatoribus faſces ſubmiſerint, Dominos eos, ſe famulos vocantes, id in aprico. Non ignarus hujus obſervantiæ adverſus Imperatorem Wenceslaus, in edicto apud *Goldaſtum* Tom. 2. Conſtit. imperial. p. 97. ad A. C. 1396. eò quoque digitum intendit, dicens: Noſtrum jus Patronatus, ne vitium ingratitudinis incurrerent, plures antiquitus ſummi Pontifices optime recognoverunt, Auguſtos Dominos appellantes, & iis in re & nomine reverentiam hujus ſuis patronis exhibentes, ut diffuſe in Regiſtro Magni Gregorii habetur & diſt. 63. cap. Solo, & in volumine quodam Iſidori Mercatoris.

XXI.

Permanſitne usque ad obitum in imperio VVenceslaus?

Non, cum enim viderent or-

ordines, male eum rem gerere, ac voluptatum, vinique (a) quam imperii curiosiorem esse, eum (b) deposuerunt.

(a) Egregia ejus vox. *Ego, si me diripiendis urbibus Italiæ fortuna præsentem dederit, cæterarum rerum prædam militibus impertior, vini tantum spolia apud me reservabo, si quis autem in cellam vinariam injussu meo fuerit ingressus, gladio ferietur*, v. *Philip. Carol.* in Curtium l. 5. animadvers. 2. p. 611. *Thomas Lansius* in Orat. p. 924.

(a) Sententiam ex authorationis, è chronico *Jacobi Rongelshovii* dissert. Pol. de Rep. mixta, addidit *Cl. Felvv.* p. 449. qui videatur.

XXII.

Sed cui deinde commisere imperium?

Ruperto Palatino, Duci Bavariæ, qui nullo successu provincias sub Wenceslao amissas,

as, ducto in Italiam exercitu recuperarare conabatur.

XXIII.

Quis eruditionis status fuit in hoc seculo?

Prodiit Scholasticorum alter Coryphæus, *Joh. Duns Scotus*, Oxoniensis, post Parisiensis Academiæ Professor, qui sectæ Scotistarum nomen dedit. Eum sequuti alii, quos inter *Occam* (a) Ludovici Imperatoris contra Papam defensor. Thomæ defensores erant *Durandus* à S. Porciano, ejusque æqualis *Hervæus*. Maxime vero temporibus Ludovici IV. celebris fuit *Nicolaus Liranus* ex Judæo Christianus.

Sub

Sub Carolo IV. vixit vere seculi hujus decus *Franciscus Petrarcha*, Florentinus canonicus cathedralis Ecclesiæ Senensis, qui litteras misere à multo ævo sepultas, ex Gothicis excitavit tumulis, & *Joh. Thaulerus*. Seculo ad finem vergente, clarus fuit (b) *Marsilius ab Ingen*, Primus Heidelbergensis Academiæ A. C. 1386. institutæ Rector. Atque hi fere præcipui sunt, quorum nomina Seculum XIV. illustrârunt.

(a) Brachio seculari munitus hic Minorita, maxime Ludovici causam adversus Johannem XXII. egit, accurate inter Pastorem Romanum & Dominum distinguens. Aureis litteris basilicis Pontificum inscribenda essent hæc illius, quæ apud *Aventinum* leguntur verba, l. 7.

Cæsa-

Cæsarem continuo & esse & vocari, postquam à Septemviris delectus sit, ad Cæsarem regna, imperia, divitias, bella, hujus seculi potentiam spectare, Sacerdotem Romanum nihil horum contingere ac procurare debere, nisi ANTICHRISTUS *esse velit*, v. *Johannes* à Sleida oppido Ubiæ, *Sleidanus* dictus, scriptor, cujus fidei & *Thuanus* diligentiæ multum tribuit, præsertim in explicandis fœderatorum consiliis, l. 2. p. 39. Extat insignis adhuc Occami liber, contra Potestatem temporalem Pontificiam, ut & ejusdem materiæ Dialogus apud *Goldastum* Tom. 2. Neque vero solus Occam, sed & alii haud infimæ caveæ illorum temporum viri, potestatem Regiam sacri Christi Vicarii obpugnârunt: ita *Joh. de Parisiis*, Theologiæ Doctor, ordinis Prædicatorum, & *Marsilius Patavinus*, nullo fundamento nixam temporalem Papæ potestatem, scriptis suis pessum dedere, v. *Boxhorn*. Hist. Univ. p. 831.

(b) *Hotting*. Orat. de Coll. Sapientiæ Heidelb. p. 30.

SE-

SECUL. XV.

I.

Quæ est seculi hujus Imperatorum series?

Celebre hoc seculum inter alia vel eo nomine est, quod litteræ redditâ quasi juventute revirerint. Imperatores autem fuêre 1. Rupertus. 2. Sigismundus. 3. Albertus II. 4. Fridericus III. 5. Maximilianus I.

Itala terra tuis votis adversa *Ruperte*,
nec cum Lunigerâ *Sigmund* felicia,
gente (mis
bella gerit. Fuit ast longè felicior ar-
Albertus quondam, qui mirabilia (a)
mundi
dictus. Pacis amans *Fridericus Tertius*, annis
proximus Augusto, imperii. Sed
Maxmilianus
maximus ingenio, clarus pietate, refulget.

(a) Ne

(a) Ne litterioni amplius mirabile videatur, quod tertiam, vocis *mirabilia*, ſyllabam produxerim, deducam eum ad Grammaticam Finkii l. 1. c. 2. p. 30. ibi figuram deprehendet proſodicam Diaſtolen, quæ Syllabam brevem producit. Cui ſi addet Glonerum, p. 187. non amplius habebit, quod rodat.

II.

RUPERTUS.

Ex qua gente fuit?

Fuit ſanguine Bavarico oriundus, comes Rheni Palatinus, qui poſtquam Wenceslao adhuc ſuperſtite in Imperatorem electus, (a) Coloniæ coronatus eſt.

(a) Cauſam cur non Aquisgrani coronatus ſit, tradit *Lehman.* Chron. Spir. l. 7. c. 74.

III. *Bene*

III.

Bene ne imperio præfuit?

Comitia primo imperii anno Francofurdi indixit, in quibus Germaniæ tranquillitatem ante omnia conſervari vult; neque dubium quin Germaniæ ſtatus feliciſsimus fuiſset, ſi diutius vitæ hujus uſura frui potuiſset. Decimo enim imperii anno, arma adverſus Moguntinum ſuſcipiens, obiit.

IV.

SIGISMUNDUS.

Cui ab obitu Ruperti commiſsum eſt Imperium?

Sigismundo Caroli IV. filio, Wenceslai fratri, Hungarorum

rorum Regi, Imperatori (a) optimo, ſingularique prudentiâ prædito, qui ſuo ſuffragio (b) ſuam electionem confirmavit.

(a) Elogium Sigismundi v. apud *VVimphl.* Epit. Rerum Germ. c. 48.

(b) Fecit id & ante eum Rupertus Palatinus. Verba autem ipſius Imperatoris apud *Dubrav.* l. 23. Hiſt. Boh. hæc ſunt. *Poſtquam nempe de Cæſare eligendo, interrogatus eſſet, ſeipſum nominavit; me, inquiens, ego novi, alios non itidem, an æque mecum Imperio orbis digni ſint? præſertim in tanto rerum motu, quo Italia quoque ſchiſmate ibi durante, plurimum laborat. Mirati hanc tam liberam & apertam Sigismundi vocem cœteri Electores, communique adſenſu illam adprobantes ipſum Sigismundum Cæſarem conſalutant.* Qua verò ratione quis ſeipſum eligere poſsit, de eo videndus *Reinking.* de R. S. & E. Claſs. 3. c. 5. n. ult.

V. *Fuit-*

V.

Fuitne bellandi cupidus?

Bella quidem gesſit tria, Hungaricum (a) Turcicum & Huſsiticum, in quibus tamen parum felix fuit.

(a) Duo hæc priora bella exorta ſunt, antequam dignitatem imperialem erat adeptus, de quibus v. *Chriſt Matth.* Theatr. p. 1002. *Lehman.* Chron. ſpir. l. 7. c. 78.

VI.

Huſsitici belli, quæ origo?

Injuſta damnatio Johannis Huſsi (a) collegæque illius M. Hieronymi Pragenſis in concilio Conſtantienſi A. C. 1414. inſtituto, cui & Poggius Florentinus interfuit.

(a) Fuit M. Johannes Huſs. Bohemus, è pago Huſsinetz oriundus, quem ea tem-

tempeſtate, quâ Bonifacius IX. indulgentiarum mercatum inſtituerat, Praga paſtorem habuit. Is itaque in Eccleſia Bethlehem, non tantum in indulgentias, vivo licet adhuc Wenceslao, acerbius invehebatur, ſed & poſt Præçeptoris Wiclefi, cujus libros paſsim commendabat, orbitam premens, adverſus Hierotyrannidem Pontificiam, pravosque mores Cleri inſurgebat. Cum verò inſuper ad diſceſsum Germanorum, Academiæ Pragenſis, quam ſuperioris ſeculi anno 64. Imperator Carolus IV. fundaverat, Rector conſtitueretur, permulti & nobilium tanti viri authoritate moti, ſententiam illius, utroque pollice adprobarunt. Ne autem latius hoc ſerperet malum, Swinco Pragenſis Epiſcopus illud in herba obprimere annititur, Huſſum ut ne Wiclefi dogmatibus Eccleſiam amplius turbaret, & hortatur, & ſcripta Wiclefi exurit, v. ſupra ſec. 14. q. 17. p. 348. His Huſsus nil motus, factum Suenconis publice ſevere perſtringit: unde hic irritatus, Huſsum deponit, ac Sigismundo Hungariæ adhuc Regi, rem omnem ex-

pont, utque Ecclesiæ, ut putabat, ma
pressæ, auxilio adesset, rogat. Suen
interea dum diem obit suum, Huss
Pragam rediens, rursus publice Cleru
Pontificemque reprehendit, usque du
jussu Sigismundi Imperatoris, interp
sita securitatis fide, Concilio Consta
tiensi cum Hieronymo Pragensi se sist
in quo præter omne fas piumque dai
natus, v. acta Concilii Constant. Sess
& exustus, quod martyrium illius eg
gie describit, *Æneas Sylvius* c. 36. *Ch*
stianus Matth. Theatr. 1006. *Anonym*
Theat. Imperat. Germ. p. 369. p
Annum & ipse Pragensis flammis abs
mitur.

VII.

Quis erat Dux Hussitarum?

Johannes Zisca, quo cu
Sigismundus Imperator a
quoties congressus, inferio
semper discessit.

VII

VIII.

Quodnam memorabile porro de eo occurrit?

Illud, quod inſignia imperialia, quæ arx (a) Bohemica Karlſtein cuſtodierat, in perpetuum fidei, orthodoxæ Noribergenſium urbi, commiſerit.

(a) Aſservari Lipſana & inſignia in hac arce Carolus IV. voluit. Cum autem obſidionem, qua eam cingebant, Hulsitæ ſolvere cogerentur, ne in eorum manus impoſterum, ſi forte rurſus vim arci inſerrent, pervenirent, Sigismundus præſcitu & ſuaſu Martini V. Pontificis, Noribergam ea transferebat. Quare Pragam duo Patriciæ gentis, *Sigismundus Stromer*, & *Georgius Pfintzing* miſsi, qui ea A. C. 1424. in urbem adduxere. Poſt ex æde Sebaldi (in qua tantisper, donec de loco conſtaret, permanebant) in templum ad Spir. S. translata, ubi adhuc hodie aſservantur.

IX.

ALBERTUS.

Quis defuncto Sigismundo electus est?

Albertus II. omnibus virtutibus Imperatoriis clarus, cujus magna sed brevis admodum fuit felicitas; uno enim eodemque anno Rex Bohemiæ, Hungariæ, & Imperator factus, áltero imperii anno, in bello Turcico adversus Amurathem interiit.

X.

FRIDERICUS III.

Quem Successorem habuit?

Fridericum III. ex Ernesto ferreo, Archiduce Austriæ natum, qui annis 53. imperio summa cum laude præfuit.

XI.

XI.

Quænam potissima sunt, quæ eo imperante contigére?

Austriam totam recuperavit, (a) Alberto Achilli Germanico, bello cum Noribergensibus gesto, illustri, totam Pomeraniam in feudum concessit: Baronem Georgium Podibracium Regem Bohemiæ constituit, Secretarioque suo (b) Æneæ Sylvio, post Pontifici, Lauream Poëticam confert. Eandem à manibus Imperatoris, & Conradus Celtes (c) accepit. Omnium maximum est, quod (d) Constantinopolis rursus in Turcarum potestatem sub ejus imperio pervenerit.

(a) Hostem non contemnendum eum fuisse, ostendit responsum, cujusdam ex

Primoribus civitatis, apud Carionem in Chron. p. 1037. quod videatur.

(b) Ante eum, Senatus Romanus A. C. 1341. Petrarcham laureâ Poëtica, magno cum populi ad plausu, in capitolio exornavit, quam dein, ingenti nobilium turba stipatus, in Petrinum templum deferens, tholo suspendit, v. *Henel.* Otio Uratisl. c. 13. Non vero solum Poëtæ honorem magni æstimavit Sylvius, Pontifex, Pius II. dictus, sed etiam huic se studio mancipavere bini seculi hujus VI. Pontifices, Urbanus nempe VIII. & Alexander VII. quorum Poëmata, illius quidem sub nomine Maphei, hujus vero sub Philomathy, cultior orbis admiratur.

(c) Primus hic in Germaniâ Poëta, in arce Noribergensi A. C. 1487. coronatus, sibi ipsi, de insigni hoc honore, hoc disticho gratulatus est.

Primus ego titulum gessi, nomenque *Poëtæ*;
Cæsareis manibus laurea nexa mihi.

Quis autem fuerit, de eo vid. *Lotichius* Biblioth. Poët. part. 3. p. 8.

(d) A. C.

(d) A. C. 1453. post toleratam 54. dierum obsidionem irreparabili Ecclesiæ damno, à Mahomete II. excisa est. *Bellarminus* quidem in Chronologia libro Script. Eccles. adstructa ad annum 1452. hanc expugnationem refert; At reprehendit in eo eum *Gerhardus Joh. Vossius*, in addendis Tr. de tribus Symbolis, Addendo 51. cujus verba hæc sunt, *Obsessa urbs Anno* CIↃ CCCC LI. *ut liquet ex Philephi Epistola, eo anno exarata: capta autem* CIↃ CCCC LIII. *die Maji 30. biduo ante ferias S. S. Jacobi, postridie Mariæ Magdalenæ, ut fallatur Bellarminus in Chronologia, cum ita scribit: Constantinopolis capitur à Turcis anno* CIↃ CCCC LII. *in ipsis feriis Pentecostes, sic Deo ulciscente perfidiam Græcorum circa processionem Sp. S. à Patre & Filio.* Addatur *Calvisius ad annum* 1453. De ipso autem urbis hujus excidio, cujus præcipua causa discordiæ domesticæ, videatur clarissimus Historicus *Cuspinianus* in Constant. VIII.

XII.

MAXIMILIANUS I.

Quis post Fridericum III. accepit imperium?

Filius Maximilianus I. & animi & corporis dotibus insignis, qui Burgundicam domum cum Austriaca (a) matrimonio conjunxit.

(a) Uxor ejus prima fuit Maria, unica Caroli Audacis, Ducis Burgundiæ filia, quam frustra Ludovicus XI. Rex Galliæ sponsam sibi exoptavit, id quod pluribus ostendit *Phil. Cominæus* scriptor plane prudens & elegans, l. 8. p. 438. sqq.

XIII.

Quomodo consecutus est imperium?

Pater eum Septemvirorum votis sibi collegam fecit, eodemque anno quo electus, etiam (a) coronatus est Aquisgrani.

Ejus

(a) Ejus de coronatione Romana judicium, ex Quicciardino, vide apud *Carpzov.* de L. R. c. 2. s. 9. n. 27. cui adde *Goldast.* Const. Imp. Tom. 1. p. 99. Quî verò eam æstimare potuisset, quum adhibitis in consilium Paulo Lichtensteinio, Jacobo Fuggero, & Matthia Gürzensi Episcopo, sedem Romanam occupare, Pontificiamque dignitatem assumere, ipse secum constituerat.

XIV.

Quid ab eo actum?

Inter alia plurima, quibus immortale sibi nomen comparavit & illud, quod supremum (a) Cameræ imperialis, judicium Spirense instituerit, ac imperium (b) in sex circulos, Franconicum, Bavaricum, Suevicum, Rhenanum, Westphalicum, Saxonicum diviserit. His addendum (c)

Regimentum imperii A. C. 1501. introductum.

(a) Tria ejusmodi summa imperii judicia, 1. Judicium aulicum der Reichs-Hofrath. 2. Camera imperialis, de cujus potestate causisque ad eam pertinentibus, v. *D. Hahn.* dissert. de variis Pot. Germani imperii p. 82. sqq. 3. Judicium Rothweilense, v. D. *Conringius* de Judiciis Reip. Germ. §. 99. 100. Exc. Dn. *Dilherrus*, in Jure Publico MS. q. 21.

(b) Vid. D. *Strauch.* Exercit. Exot. 1. §. 4. *Zeileri* integer ea de re tractatus. D. *Textor.* in Jure Publ. MS. c. 3.

(c) Quid sit verbis Exc. D. *Dilherri*, l. c. describemus. *Fuit*, inquit, *olim aliud comitium Imperii, à Maximiliano I. Imperatore, cum concessu statuum A. C. 1501. institutum, quod Regimentum imperii*, des H. Reichs Regiment *adpellabatur, cui plena potestas, non tantum judicandi causas privatorum, sed etiam de pace & bello, ac omnibus aliis negotiis, ad summam imperii potestatem pertinentibus, concessa fuit.* Videatur & Hippol. *à Lap.* part.

part. 2. c. 4. p. 364. Hoc tamen judicium, rursus authoritate Caroli V. in comitiis Wormatiensibus A. C. 1521. & decreto Noribergensi, eodem anno sublatum.

XV.

Quid amplius sub ejus imperio contigit?

Lutherus, qui primum Juris prudentiæ, deîn invito parente Monasterium Augustinianorum Erfurdiæ, A, 1505. ingressus, Theologiæ operam dedit, in reformanda religione initium fecit.

XVI.

In quo loco fuere hoc seculo studia?

Longe melior eruditionis facies, hoc quam superioribus temporibus, esse cœpit. Exortæ enim plurimæ Academiæ,

miæ, ipſaque (a) ars typographica, quæ incrementa elegantiori eruditioni dedêre. Virorum autem clarorum, cum ingens hoc ſeculo proventus, aliqui ſaltim hic inſerendi, ii nempe, quorum nomina hodie fere in vulgus nota. Vixerunt itaque circa initia ſeculi hujus, inter Scholaſticos adhuc *Johannes Gerſon*, Cancellarius Academiæ Pariſienſis, & *Joh. ab Alliaco.* Poſt hos (b) *Alphonſus Toſtatus*, Episcopus Abulenſis. Paulò ante medium floruit *Nicolaus Cuſanus*, Epiſcopus Brixanus. Circa finem, eruditionis ſcholaſticæ laude clarus fuit *Gabriel Biel*, Academiæ Tübingenſis Profeſſor, & *Johannes Picus*, Miran-

Mirandulæ Comes. Eorum vero, qui cum aliis linguarum & reliqua ſtudia propagarunt, ſunt (c) *Laurentius Valla*, *Æneas Sylvius*, *Angelus Politianus*, *Hermolaus Barbarus*, & in Germania (d) *Rudolphus Agricola*, (e) *Johannes Reuchlinus* ac *Eraſmus*. Natus præterea & hoc ſeculo eſt *Philippus Melanchton*, ac Savanerolla (f) martyrium ſubiit.

(a) v. *VVimphl.* Epit. Rerum Germ. c. 65.

(b) *Voſsius* de Hiſt. Lat. l. 3. c. 7.

(c) Fuit Canonicus ac Patritius Romanus, cujus ſepulchri inſcriptionem, v. apud *Voſs.* l. c.

(d) *VVimphling.* l. c. c. 52.

(e) Alias Capnio dictus eſt. Ejus autem vitæ curriculum brevibus hic recenſere non erit ingratum. Natus verò eſt Phorcæ in Marchionatu Badenſi, ac

año ætatis 20. in Germaniam, postquam aliquos annos Lutetiæ Parisiorum transegisset rediit. Basileæ Magisterii gradu ornatus, ac Pictavii Juris Doctor creatus, Linguæ Hebraicæ studium, quod ductu Wesselii inchoárat, Legatus ad Fridericum Imperatorem missus, magna diligentiâ, hoc legationis tempore, excoluit. Cumque rursus Legationem apud Pontificem Romæ obiisset, Judæum quendam Abdiam nomine nactus, illius se institutioni commisit, ac pro singulis horis, singulos aureos persolvit. Profectus tandem egregios sentiens, ipse manum operi admovet, primusque omnium Grammaticam Hebræam & scribit & edit A. C. 1506. Vixit & eo tempore Judæus quidam baptizatus Christianam fidem simulans, ac familiaris admodum Jacobo Hogostrato, Monacho Dominicano, Johannes Pfefferkorn. Hic Judæorum pecuniam sitiens, qua via, honesti specie, ab iis extorqueri posset, ostendit: nempe si Bibliis exceptis, cœteri illorum libri flammis traderentur, ita enim fore, ut Judæi grandi

di ære libros ſuos à Vulcano redimerent. E re monachorum aliorum cum conſilium hoc videretur, edictum adverſus Judæos ab Imperatore & efflagitant, & obtinent. In tantas anguſtias redacti Judæi, tandem Patronum cauſæ Johannem Reuchlinum habuére, cujus ea de re mentem cum Maximilianus, quantum ſatis erat, ſcripto percepiſset, Judæis libros reddi juſsit. Deluſi corvi hiantes Pfefferkorn, Hogoſtratus, & alii, adverſus Reuchlinum inſurgunt, remque tandem arbitrio Leonis X. committunt, ſed re infecta diſceſsére, v. *Sleidanus* l. 2. p. 40. Reuchlinus tandem ab hoſtibus liberatus, in Academia Ingolſtadienſi Græcam & Latinam linguam docuit, poſt in Academiam Tübingenſem vocatus, cum morbo conflictabatur, ac ſenio confectus A. C. 1522. die 30. Junii Studgardiæ anno ætatis 70. diſceſsit.

(f) Cum acerrime Papales indulgentias reprehenderet, juſsu Alexandri VII. A. C. 1498. Florentiæ, vir hic & ſanctimonia & doctrina inſignis, combuſtus eſt, v. *Bucholtzerum* in indice p. 445.

SE-

SECUL. XVI.

I.

Qui ſunt Imperatores hujus ſeculi?

Illuſtre plane, ob diu deſideratæ reformationis opus, eſt hoc ſeculum, cujus Imperatores ſunt, 1. Carolus V. 2. Ferdinandus. 3. Maximilianus II. 4. Rudolphus II.

Carolus implevit *Quintus* virtutibus orbem
nec minor huic *Fernandus* erat. Par hiſce *ſecundus*
Maxmilianus; & hunc ſequitur gravis ille *Rudolphus*
alter, quo celebris noſtra Altorphina coruſcat.

II.

CAROLUS V.

Qui erant ejus parentes?

Parens erat Philippus I. (a) Hi-

(a) Hispaniarum Rex, & mater Johanna filia Ferdinandi Regis Hispaniæ. Ex his natus est Carolus Gandavi Flandriæ metropoli, A. C. 1500. die 23. Febr.

(a) His non obstantibus, Germanum Carolum fuisse, quod & ipse Fridericus Saxoniæ Dux in Elect. Caroli V. adfirmat, satis probatum dedit *D. Strauch.* disp. Exot. 4. §. 6. p. 95.

III.

Quî factum, quod illi imperium commissum sit?

Mortuo Maximiliano I. cum gravia pericula imminerent, propter (a) eos, qui imperium ambiebant, tandem post acerrimas contentiones, Moguntinus reliquorum Electorum suffragiis collectis, ab-

absſentem Carolum Archiducem Auſtriæ, Imperatorem eligit.

(a) Franciſcus cui Pontifex & Trevirenſis favebat, per Legatos, animos Electorum in ſuas pertrahere partes ſtudent, tandem tamen ſpe ſua excidit. Copioſe, Hiſtoriam Electionis Caroli M. tradidere *Philippus Melanchton*, (quem ſub nomine Georgii Sabini, Tom. 2. Rerum Germ. addidit *Simon Schardius*) *Hartmannus Maurus* à Conſiliis Archiep. Colonienſ. quibus adde, nunquam merito ſuo laudandum *D. Johannem Strauchium* diſp. Exot. 4. & *Boxhorn*. Hiſt. Caroli V.

IV.

Quæ bella geſsit Carolus Quintus?

Varia geſsit, quorum tamen potiſsima (a) Gallicum, quod contra Franciſcum Galliæ Regem; & alterum (b) Ger-

Germanicum, quod contra Johañem Fridericum, Ducem Saxoniæ Electorem, & Philippum Landgravium Hassiæ, ut & confœderatos, ac (c) Magdeburgenses, succepit.

(a) Geminas cur bellum Carolo indixerit, causas, adfert *Hadrianus Barlandus*, Professor Lovan. apud *Schard.* Tom. 2. p. 1849. quarum una, eaque potissima, quod, Carolum sibi prælatum, ægre ferebat; altera, quod illustrandi nominis occasionem quærebat. Verùm dubio ad Paviam Marte, bellum hoc gestum est, usque tandem superior Carolus M. discessit, ac Franciscus A. C. 1525. 24. Februarii, captivus in Hispaniam abductus est, cujus, cum jam in extremo discrimine constitutus esset, animi Regii verba, non possum non ex Barlando, qui prolixius Obsidionem Papiensem descripsit, hic adducere, ita autem ille. *Stabat jam Rex Galliarum undique telis expositus, cum suis hortantibus, ut re jam inclinata*

clinata è prœlio excederet. Non faciam, inquit, *hîc extingui pulchrum mihi & laudabile ex.stimo. Ea sum stirpe, iis majoribus ortus, ut non tam longam vitam, quam nominis æternitatem optare debeam*, v. pluribus de bello hoc *Matth.* Theatr. p. 1046 & *Guicciardinus* l. 15 & 16.

(b) De bello hoc scripsit *Ludovicus ab Avila* Hispanus, militiæ Alcatarensis præfectus, haud tamen fide dignus scriptor, quippe qui sæpius à regia veritatis via deflectit. Majorem longe fidem meretur *Lambertus Hortensius Montfortius*, Historicus & Grammaticus insignis, qui libris septem illud complexus est, ut & *Hortlederus*. Ad trutinam Politicorum pluribus illud examinavit *Burgoldensis*, part. 1. disc. 1. §. 26. p. 20. sqq. Est autem hoc celebre illud bellum Smalcaldicum, quod Carolus V. cum Saxone & Hesso, Protestantium confœderatorum Ducibus maxime strenuis gessit. Origo illius reformatio religionis, (alias prætexit Carolus apud *Chytr.* l. 12. p. 401.) quam cum obprimere Carolum Protestantes putarunt, A. C. 1529. Smalcaldiæ

con-

conventum indixerunt, fœdusque, cujus προβουλεύματα anno 26. in comitiis Spirensibus, & anno 29. ibidem, insuper etiam Noribergæ, inque conventu Suabacensi fuere jacta, inierunt. Renovatum & amplificatum est hoc fœdus A. 35. & 36. Smalcaldiæ, nulla alia de causa, quam ne quid veritas Evangelica detrimenti pateretur. Non ergo illegitimum fuisse exinde patet, quia defendendæ veritatis, & conservandæ pacis publicæ gratia contractum est. Pluribus verò justitiam fœderis hujus defendit *Carpzov.* de L. R. f. 8. & *Bernhardus Zieritzius* Brandenburgensis JCTus discursu Apologetico pro fœdere Smalcaldico. Ast parum felices in hoc bello Protestantes fuêre, siquidem Fridericus Dux & Elector Saxoniæ captus, ejusque calamitas cœteris omnibus timorem injecit, videndus etiam *Thuanus* l. 4. Plane non prætermittendum hic est Exc. Dn. *Beerii*, de hoc bello judicium, in Hist. Univers. MS. recens. compend. rerum à Maximiliano usque ad Ferdinandum III. gestarum. §. 206. *Cum Cæsareanis aliquot velitationibus*

nibus concurrebant, & rei optimæ gerendæ occasionem, æmulatione, quæ inter Saxonem & Landgravium vigebat, impediti, turpiter è manibus dimittebant. Expugnare enim Cæsarem potuissent, si Landgravii consilium fuissent secuti.

(c) Causa, quod victis Protestantibus, & hos adgressus, est Declaratio religionis sv. liber Interim *Burgold.* l. c. §. 34. p. 26.

V.

Fuitne Carolus amicus Luthero?

Severiori quidem edicto in Comitiis Wormatiensibus, Lutherum, cui ipse (a) Pontifex ad reformationem aggrediendam calcaria addiderat, proscribit, illi tamen fidem salvi conductus servavit.

(a) Indulgentiæ, quas Leo X. Pontifex Romanus, dignitatum Ecclesiasticarum in Medicea gente initia ponens, impulsu Laurentii Puccii Cardinalis, per

Jo-

Johannem Tetzelium Pirna-Misnicum, circumtulit, causa quidem fuêre; sed cum Leo excommunicationis fulmen in Lutherum vibrasset, ac insuper libros illius flammis comburendos subjecisset, irritatus Lutherus, *Zelo plane Eliano, Antichristi Occidentalis regnum oppugnat, & omnes articulos bulla Pontificia damnatos constanter asserit, & revocationis loco captivitatem Babylonicam, de septem Sacramentorum abusibus edidit, & paulò post, duos superstitionis Regni Pontificii nervos, vota monastica, & Missas privatas incidit. Ac ut ilex duris tonsa bipennibus ab ipso ducit opes animumque ferro; ita ipse cursum illustranda veræ Evangelii doctrinæ, & taxandi errores ac superstitiones Pontificias, inter potentissimorum Europæ Monarcharum adversationes, constanti & ingenti animo & felicitate miranda perpetuo ursit ac confecit*, sunt verba *Chytræi*, Chron. Sax. l. 6. p. 630. ubi & simul elegans de hoc Lutheri negotio, Erasmi judicium adducit. Adpellationis verò instrumentum adversus bullam Leonis vide in Tom. 2. Wittenb. fol. 52.

VI. *Quid*

VI.

Quid porro circa hæc tempora factum?

Confeſsio Auguſtana, articulis cum abuſibus 28. conſtans (a), quam (b) Philippus Melanchton ex ſeptendecim Lutheri articulis concinnavit, à Proteſtantibus (c) Imperatori Anno C. 1530. eſt exhibita.

(a) Non quidem in ipſo comitiorum conſeſsu lecta eſt confeſsio, ea propter, quod Cardinalis Campegius, Legatus Romani Pontificis aliique Cardinales Archiepiſcopi, quos Carolus lectione illius offendere noluit, aderant; in aula tamen ſua altera die, qui fuit 25. Junii coram Principibus & ordinibus imperii hora tertia circiter pomeridianam prælecta fuit, à Chriſtiano Beyer, U. J. D. Electoris Saxoniæ Cancellario, *Bzovius*

rem

rem commemorat his verbis Anno 1530. n. 47. 48. *Erat cœnaculum non valde spatiosum CC. hominum capax. In eo postquam Cæsar, Ferdinandus Rex, aliique Principes ex utroque latere consederunt, Christianus* Bayer (*Burgoldensis* part. I. disc. §. 23. p. 17. & *Clasen.* de Jubilæo Saxon. falso Christianum Bruk nominant, hic enim confessionem non legit, sed lectam Alexandro Schweis tradere voluit) *Electoris Saxoniæ Cancell. Confessionem Protestantium de scripto legit, uti Germanice concepta fuit, idque tarde prorsus & articulatim, ut duabus horis totam absolveret. Deinde Cancell. Saxoniæ ejusdem exemplaria duo, Germanicum & Latinum, Alexandro Schvveissio, Cæsaris Secretario obtulit, Archiepiscopo Moguntino tradenda, quæ Cæsar ipse porrecta manu tum quidem ad se recepit.* Videatur & *Chytræus* Hist. A. C. p. 69. Et ut ea quam Protestantes exhibuere, sincera ac incorrupta permaneret, in Archivis imperii est reposita, v. *Dorschæus* dissert. de singul. & mirandis documentis Providentiæ divinæ circa A.

C. p. 21. Nothwendige Vertheidigung des Augapffels/ p 96.

(b) Ortum eſt Proteſtantium nomen, exinde quod contra decretum in comitiis Spirenſibus A. C. 1529. factum, ubi pluralitate votorum controverſiæ decidebantur, proteſtati eſsent, v. *Sleid.* l. 6. p. 173.

(c) v. Nothwendige Vertheidigung/ p. 1. *Lutherus*, Tom. 5. Jen. Germ.

VII.

Quid porro in Caroli tempora incidit?

Incidit in tempora Caroli V. ſeditio ruſticorum A.C. 1525. cujus fax & tuba (a) Thomas Münzerus, Paſtor Alſtetenſis, qui dein capite pœnas dedit.

(a) Brevi tabellæ quaſi, potiſsima hujus ſeditioſæ Anabaptiſticæ gentis (quæ & Wittebergæ, Luthero abſente, per Nicolaum Storchium, alioſq;, res novas moliebatur) includere, non erit plane ab inſti-

instituto alienum. Scripserat *Lutherus* librum de libertate Christiana; in quem cum incidisset *Münzerus*, omnia in pejorem sensum torquens, (non enim litteris imbutus erat) clam ut servitutem excuterent, obsequiumque Principibus subditi denegarent, docere cœpit. Neq; vero intra hos limites sese continuit, sed & publicè classicum cecinit. Unde rustici A. C. 1525. arma corripientes, in Dominos suos insurgunt, sed cæsi, Munzerusque à Duce Saxoniæ captus, capite pœnas luit, v. *Chytraus* l. 8. Saxon. p. 48. Eo verò ipso nondum exstirpatum erat malum; siquidem statim post Munzerum alius Anabaptisticorum dogmatum præco, *Johannes Hoptmannus* exortus, qui virus suum circa Rhenum spargens, ab Argentinensibus in vincula conjectus est. Interea serpente hoc malo in Westphaliam, Frisiam & Hollandiam, Johannes & *David Georgius Leidensis*, suas quoq; partes egere, quorum hic ex libro, quod *Opus restitutionis* inscribebant, pus hoc & venenum hausit. Omnium maxime verò in Westphalia hoc hominum

genus radices egit, adeo quidem ut excitatâ ſeditione, novam ibi Rempubl. conſtituerint. Author tumultus erat *Matthaus Harlem* & *Johannes Bocoldus* Sartor Leidenſis!, quibus ſe jungebant *Jacobus Campenſis & Johannes Geel.* Hi novo Reip. ſtatu introducto, conſules crearunt binos, *Bernhardum Cnipperdollingum* & *Cippenbrochium*, quibus juncti 20. Senatores. Summum Magiſtratum gerebat, *Johannes Matthias* Piſtor Harlemenſis, qui ſe Prophetam jactitabat. Fortunis ita ſuis exutus Epiſcopus Monaſterienſis, urbem obſidebat. Matthias Dux Anabaptiſtarum, aliquoties feliciter cum Gelris, qui in auxilium Epiſcopo erant, congreſsus, tandem in eruptione à Germanis interfectus eſt. Cæde hujus magna animorum mutatione inter Anabaptiſtas exortâ, occaſionemque emergendi nactus *Bocoldus*, ope *Tuiscoscorerii*, qui ſe novum Prophetam eſse populo perſuadebat, Rex ſalutatur, *Cnipperdollingusq;* urbis præfectus conſtituitur. Sed felicitas hæc non diu perſtitit, ſiquidem Epiſcopus auxiliis impe-

rii

rii adjutus, ope *Johannis Longoplateensis* urbem capit, Regem supplicio servat, qui tandem ad palum alligatus, post ignitis ac candentibus forpicibus aliquandiu excarnificatus, periit. Eodem supplicii genere & *Cnipperdollingus* & *Krechtingius* interiêre. Hæc ex *Johannis Corvini*, de Monasteriensi obsidione, & *Lamberti Hortensii* de Anabapt. tumultu, collecta, paucis hic recensere, visum fuit.

VIII.

Sed quid Pontifices fecere?

Paulus III. indixit (a) Concilium primo Mantuæ, deinde Tridenti A. C. 1546. eo anno, quo Lutherus obiit, & Imperator Saxonem & Hessum proscripsit. Biennio post A. C. 48. (b) Interim Liber prodiit.

(a) 25. Sessionibus hoc concilium absolvitur, quarum ultima habita 1563.

die 3. & 4. Decemb. Imperatore Ferdinando I. & Pio IV. Pontifice Romano. Hiſtoriam hujus concilii ſcripſére *Petrus Suavis* Polonus, adverſus quem arma ſumſere *P. Sfortia Palavicinus*, *&* *Seigio Henricus*, quorum trium cenſuram inſtituit *Cæſar Aquilinius*, Cauſas autẽ, cur Electores & Principes Proteſtantes, ad concilium hoc non acceſserint, ad amuſsim exhibet ſcriptum, quod Imperatori obtulére, ac publicæ rurſus luci Helmſtadii A. C. 1664. commiſsum eſt. Sane Rex Galliæ Synodum hanc non habuit pro generali concilio, ſed pro conventu ſaltim quodam privato.

(b) Conſcripſere hunc librum, mandato Imperatoris *Julius Pflugius*, Epiſcopus Naumburgenſis, *Michaël Sidonius* Heldingus etiam dictus, Mogunt. Suffraganeus, & *Johannes Agricola* Islebius Brandenburgenſis Electoris concionator. Conſtat partim ex orthodoxis, partim Papiſticis capitibus, eumque licet Albertus Elector Brandenb. Moguntinus, Palatinus, Dux Wirtenbergicus, alii

reci-

reciperent, non tamen eò adduci potuit Fridericus Elector Saxoniæ captivus, è cujus animi plane infracti & constantis confessione, quam integram *Chytræus* l. 12. Chron. Sax. p. 440. recitat, aliqua saltim adducere placet. *Cum conscientia mea, de doctrina, quam hactenus confessus sum, veritate, testimoniis verbi divini, sic persuasa, convicta & capta sit, nec aliud melius probatis sacræ scripturæ testimoniis docear, cum omni subjectione & reverentia, per misericordiam Dei, quam in miranda incarnatione & passione unice dilecti filii sui, Domini & Servatoris nostri Jesu Christi, humano generi exhibuit, C. M. oro, ne inclementer accipiat, quod in hoc decretum de Religione, seu Librum Interim non consentio, sed in Augustanæ Confessionis doctrina firmiter persevero: & rebus omnibus post habitis, id solum specto, ut confecto misera hujus & ærumnosæ calamitosæq; vitæ curriculo, æternæ salutis & lætitiæ particeps fieri queam.* Erubescat seculum nostrum, ad hujus magnanimi Confessoris constantiam. De libro vero Interim videndus *Sleidanus* l. 21. *Burgold.* part. 1. disc.

disc. p. 27. & *Iohannes Gesenius* Repurgat. Coll. Rintel, disc. 10. § 3. p. 251.

IX.

Sed quid tandem de Carolo V. factum?

Postquam & Passaviensem (a) transactionem, promovente hoc negotium omnibus modis Ferdinando, cum Protestantibus iniisset, vitæ & Imperii satur, in Hispaniæ monasterium S. Justi (b) concessit, ac reliquum vitæ tempus inter preces sacrasque meditationes, Monachus transegit.

(a) Per transactionem hanc Passaviensem, adversus quam nullo plane modo protestatus est Jullus III. A. C. 1552. cautum fuit, ne ulla cuiquam propter religionem molestia exhibeatur. Post verò A. C. 1555. d. 25. Sept. hoc pacis fœdus regnante adhuc Carolo V. ejusque vices susti-

ſuſtinente Ferdinando I. Romanorum Rege, unanimi procerum conſenſu, decreto comitiali confirmatum fuit, nullo modo vero Carolo V. aut Ferdinando extortum. Quam graviter in eo, Jeſuitarum judicio, peccarint Carolus V. & reliqui ſtatus, ex eo videre eſt, quod nonnulli illius farinæ pronunciarint, *Carolum V. & Ferdinandum in purgatorio adhuc facti hujus pœnas luere*, teſte *Oſiandro* in Apol. Germ. p. 16.

(b) Libere hæc reſignatio facta eſt, primo per Reſcriptum Sudburgi in Zelandia 7. Sept. A. C. 1556. v. *Goldaſt.* Conſt. Imp. Tom. 1. p. 576. poſtea A. C. 1558. Francofurti ad Mœnum. Cauſæ hujus reſignationis deprehenduntur apud *Famianum Stradam* de Bello Belg. Decad. 1. l. 1. p. 14. ſqq. Omnino etiam hic evolvendus eſt *Burgoldenſis* ad Inſtr. Pacis, part. 1. diſc. 1. §. 43. qui varia, indagine accuratiori digna, de reſignatione Caroli, judicia adfert.

X.

FERDINANDUS I.

Cui commiſſum eſt imperium, ex quo illud Carolus V. depoſuit?

Ferdinando I, fratri Caroli V. qui Coloniæ electus, ac Francofurti Imperator declaratus fuit. Sed Pius IV. quod pacem Lutheranis dediſset, eum Imperatorem agnoſcere noluit.

XI.

Quamdiu ſolus regnavit?

Annos ſex, cujus imperium eo nomine feliciſsimum fuit, quod religionis controverſias, ipſam etiam Remp. concutientes, prudenter ſedárit, ac tanquam alter Germaniæ Numa

Numa, pacem post tot turbas reddiderit.

XII.

MAXIMILIANUS II.

Quis successit Ferdinando?

Filius Maximilianus II. Litterarum maximus fautor, cujus imperii tranquillitatem nil nisi (a) Grumbachiana factio turbavit, sed mox ab Imperatore repressa.

(a) Dicitur à Grumbachio nobili Franco, quem, invictissimi animi Herois filius, Joannes Fridericus junior, Dux Saxo-Vinariensis, in clientelam suscepit, consiliarii eum honore dignatus, sed suo jumento sibi malum attraxit: Grumbachius enim, quod Episcopum Würtzburgensem per sicarium interfecisset, tanquam pacis publicæ turbator, altera vice proscriptus, ad Fridericum confugit, qui eum recipiens, ab Electore

Saxoniæ in arce Grimmenſtein obſidetur. Grumbachius, arce obpugnata, cum Chriſtiano Bruck J. U. D. in quatuor partes vivi diſsecti; Fridericus vero Viennam deductus, populi ludibrio exponitur, v. *Thuanus* l. 39. *Burgoldenſ.* part. 1. Inſt. Pac. diſc. 1. p. 49.

XIII.

Cum quo bello geſsit?

Cum Turcarum Imperatore Selimo II. quem Johannes Sigismundus, Transſylvaniæ Princeps in auxilium vocarat. Duce uſus eſt Maximilianus Lazaro Suendio, viro manu promto & conſiliis ſtrenuo, qui licet fortiter adverſus Tartaros pugnaret, Zigetum tamen, Nicolao Serinio pro viribus illud defendente, in hoſtium poteſtatem pervenit.

v. *Chriſt. Matth.* Theatr. p. 1093. Illud inſuper temporibus Maximiliani addendum

dum, quod A. C. 1572. horrenda laniena Parisiensis peracta sit, qua quoque absumtus Ramus, v. *Laurentius Riseb.* p. 59.

XIV.

RUDOLPHUS II.

Quis post Maximilianum præfuit imperio?

Rudolphus II. filius. Hic gravis, doctus & prudens Imperator, quique in mechanicis vix habuit secundum, petente Patre, Romanorum Rex declaratus Ratisbonæ, illi defuncto, in imperio successit.

XV.

Stetit ne à partibus Protestantium?

Gladio cum extirpandos Protestantes Jesuitæ cogitarent, semper illorum conatibus frena injecit, Bohemisq;

Silesiis & Austriacis Religionis libertatem concessit. Sed iniquior (a) Aquisgranensibus fuit.

(a) Ruinas cum semper adversus Evangelicos Jesuitæ meditentur, hinc & contumeliis animos eorum, qui ex Belgio Aquisgranum concesserant, exasperavère. Hinc tumultus excitati, qui non ita facile componi poterant, nisi aqua & igni Aquisgranensibus interdiceretur, v. *Mercurius* Gallo Belg. Tom. 4. Anno 1598. p. 168. *Burgold.* part. 1. p. 58.

XVI.

Anne & bella gessit?

Gessit bellum cum Amurathe Turcarum imperatore, cum quo tandem post varios congressus A. C. 1606. in annos XXX. inducias fecit. Biennio post, discordia (a) inter fratres, Rudolphum & Matthiam orta, bellum minitabatur,

batur, quod tamen pace mutatum.

(a) Posonii fœdus inter Austriacos & Hungaros initum; de quo, cum per Cardinalem Dietrichstein, Matthias Archidux, Rudolphum fratrem certiorem fecisset, isque illud irritum vellet, Viennam digressus, expeditionem in Bohemiam suscipit. Cumque ea de re rumor ad Cæsarem delatus esset, Pragam equitatu & peditatu munit, legatosque ad Archiducem, qui controversiam componerent, mittit. Matthias interea cum universis copiis Pragam versus progreditur, cujus Legati in urbem admissi, proceribus quid sibi vellent, dextre exponunt, remque omnem felicissime expediunt. Rudolphus enim coronam Ungaricam Matthiæ eâ lege concedit, ut modo nullus alius, præter Archiducem, in Regem ab ordinibus istis eligatur. Pactis itaque ultro citroque firmatis, *diadema Hungaricum*, aliaque insignia, nempe *gladius Regis Stephani, orbis regni aureus cruce insignitus, duo paria calceorum, vestimen-*

tur

tum mira antiquitate venerandum, sceptrumque Regium, per supremum regionum præfectum in castra delata, & Archiduci Matthiæ sub aperto cœlo tradita sunt, qui instructa acie, & sedecim equitum, peditumque millibus in tres cohortes distributis, post accepta insignia, tormentorum scloporumque omnium displosiones ternas fieri jussit, & Legatos Cæsareos omnes splendido convivio excepit. Cœterum temporibus Rudolphi, & illud addendum, quod A. C. 1581. ab incluto Senatu Noribergensi Academia Altorphina, Rudolphinis privilegiis ornata aperta, & Henricus III. Galliæ Rex à Monacho, anno C. 1589. interfectus sit, quod parricidium latius *Thuanus*, *Mercurius Gallo Belg.* Tom. 1. l. 2. p. 149. ac *Riseb.* p. 100. descripsére. Calendarium quoque Gregorius XIII. emendatum promulgavit, A. C. 1582. sed Protestantes ne Leonem in sinu alere cogerentur, illud recipere noluerunt, v. *Merc. Gallo Belg.* Tom. 3. p. 204. *Strauch.* disp. de Anno Th. 1.

XVII.

XVII.

Studiorum quis ſtatus hoc ſeculo fuit?

Rediere aurea tempora elegantiorum litterarum, nec deerant viri eruditionis fama celeberrimi, quos inter maxime æſtimandi, (a) Philippus Melanchton, (b) Eraſmus, J. Cæſar Scaliger, Joh. Sleidanus, & Barnabas Briſsonius.

(a) Patria illi oppidum Palatinatus Bretta, Pater Georgius Schwartz-Erd/ unde & ille Græcâ voce Melanchton dictus, mater Barbara Reuteria. Præceptoribus in juventute uſus eſt Joañe Ungaro & Georgio Simlero, cumque ſtudiorum telam in Academia Heidelbergenſi exorſam, in Tübingenſi pertexuiſset, ab Electore Saxoniæ Friderico, in Academiam Wittebergenſem vocatus, Græcam ibi linguam publice, ſummo omnium cum ad

ad plausu docuit, ac cum Luthero collega familiarissime vixit. Noriberga quoque Viri tanti præsentia fruebatur. Cum enim inclytus hujus urbis Senatus, scholam novam ibi A. C. 1526. aperuisset, Oratione inaugurali insigni, in corona doctissimorum virorũ, omnisq; ferme Senatus, eam Philippus Deo Musisq; consecravit, v. Oratio Theologi de Ecclesia inter acerbissimos calculi dolores, meritissimi B. D. *Sauberti*, quam in renovatione Noribergensis Gymnasii Ægidiani A. C. 1633. d. 11. Februarii recitavit, cui Philippi oratio annexa. Abhinc ad comitia Spirensia, colloquium Marpurgense, comitia Augustana, conventum Smalcaldium, Ratisponensem, colloquium Wormatiense, perrexit, iisque interfuit. Tandem tot exantlatis molestiis, vitæ satur, Anno 1560. placidissime obdormivit.

(b) De Erasmi ortu hæc narrat *Chytræus*, l. 4. Chron. Saxoniæ, p. 391. *Is Roterodami in Hollandia, ubi exigua domus ad Cœmiterium, cum hac inscriptione*

Hæc est parva domus, magnus qua natus Erasmus.

mihi

mihi olim monstrata est, die Simonis & Iudæ 1466. in lucem editus, & puer Daventriæ in Alexandri schola eruditus est, &c.

SECUL. XVII.

I.

Qui hactenus in hoc seculo vixére Imperatores?

Fuere post Rudolphum II. 1. Matthias. 2. Ferdinandus II. 3. Ferdinandus III. Et 4. quem Deus diutius adhuc Romano Germanico imperio servet, est Leopoldus.

Tempora *Matthiæ* viderunt bella Boëma,
queîs fuit immixtus *Ferdnandus* deinde *secundus*.
Tertius ast *Ferdnand*, Castrensem reddidit orbi
pacem. Hanc progenies Divûm foveat *Leopoldus*!

II. MAT-

II.

MATTHIAS.

Cui commissum est post Rudolphum imperium?

Fratri illius Matthiæ, sub quo paulatim Bohemici belli flamma gliscere cœpit.

III.

Quæ fuere initia belli Bohemici?

Destructio templorum, quæ illi, qui in Bohemia à Pontificia religione disside-bant, in solo Pontificiorum exstruxerant; electio Ferdi-nandi II. ac Comitis Slabatæ aliorumque Cæsarianorum ministrorum, Pragæ è fenestra 40. cubitorum dejectio.

IV. FER-

IV.

FERDINANDUS II.

Sub quo erupit bellum?

Sub Ferdinando II. (a) Hunc cum rejecissent (b) Bohemi, Regem sibi alium fecerunt Fridericum V. Palatinum; qui tandem à Maximiliano Bavaro, ad Pragam (c) in monte Albo A. C. 1620. victus, Bohemis & Protestantibus tristissimum belli hujus exitum fecit.

(a) Virulentus ille *Erdmannus*, præter fas piumque adversus Noribergenses irritatus, nullum non lapidem apud Ferdinandum II. movit, ut Lipsana Noribergensibus eriperentur, v. stramineas hominis rationes, Rel. Hist. de Lips. c. 16.

(b) Rationes illorum, vide apud *Lundorp.* in Sleid. Hist. continuat. alias

sub

ſub Mercur. Gall. Belg. evulgata, p. 16, & 46. Inter has erat & hæc, quod Ferdinandus Cardinalem Cleſelium ignaro Matthia, ab aula ſua removiſſet, ac cum Hiſpano, de regnorum Hungariæ & Bohemiæ ſucceſsione, clam pacta iniiſſet.

(c) v. *Merc.* Gallo Belg. Tom. 13, p. 46.

V.

Quos Duces bello huic Bohemi conſtituêre?

Implorantes auxilia (a) Gabrielis Bethlehemi, Tranſylvaniæ Principis, comitem quoque (b) Mansfeldium & Turrianum, Cæſarianis ducibus (c) Bucquojo & (d) Tampirio obponunt.

(a) Hic Bohemorum inſtinctu Hungariam & Auſtriam infeſtat, omniaque circa Viennam, ferro, flammis devaſtat. Tandem verò rurſus cum Cæſare paciſcitur, illique A. C. 1622. Hungariam, abdicato regio nomine, reſtituit.

(b) Er-

(b) Ernestus Mansfeldius, clarissima erat familia, sed ex pel icatu editus. Hic Pilsenam urbem armis expugnat, editis in victos ejus crudelitatis exemplis, qua illis, quæ postea in reliqua Germania editurus foret, prælusisse videbatur, inquit. *Author* Comp. de bello Germ. p. 10. addatur & *Burgold.* disc. 1. part. 1. p. 96.

(c) Bucquoi vetus è Belgio miles, ab Hispanis Cæsari missus, A. C. 1619. Bohemos summo impetu invadit, sed loco cedere Cæsariani coacti sunt, utut præter Bucquojum, Tampirius, Lichtensteinius, & Don Balthasar quoque adfuerint. Attamen insigni clade paulo post, plus vice simplici, rursus Hungaros debilitavit.

(d) Henricus Tampier, Dux inclytus adversus Venetos, non diu Cæsarianis copiis adfuit; Presburgam enim cum obsedisset, ac incautius sub muris versaretur, non digno in tanto duce temeritatis exitu, glande ictus occubuit. Ejus cadaver abscisso capite in arcem ab Hungaris translatum, v. *Merc.* Gall. Belg. Tom. 13. l. 3. p. 36.

VI.

Cessavit ne victo Friderico bellum?

Minime vero, ſed calamitas calamitatem excepit. Sueco-Germanicum enim bellum, quod Alexandro M. vere ſimilis Guſtavus Adolphus Sueciæ Rex, magno animo geſsit, exortum, Germaniam fere in cineres redegit.

VII.

FERDINANDUS III.

Sub quo vero confectum eſt hoc bellum?

Sub Ferdinando III. quem pacificum ex merito dicimus. Cum enim inſigni ſtratagemate, Pragâ Königsmarck potiretur, ne incendium, quod om-

omnem fere Germaniam corripuit, latius evagaretur, tricennale hoc bellum, in quod fere universa Europa vires suas impendit, Osnabrugæ in Westphalia, pace exoptatissimâ A. C. 1648. sopitum est; cujus deîn firmandæ gratia Noribergæ A. C. 49. Illustriss. Legati Cæsarei & Regii convenere, ac A. C. 50. Instrumento pacis, septendecim articulis constante, (quod Illustris Ranfftius Cæsareæ Maj. obtulit,) summa cum gratulatione omnium, in arce subscripsere.

Pacem hanc Innocentius X. per Fabium Chisium, Nuntium Apostolicum, post Pontificem, irritam reddere conatus est; sed insolentiam & iniquitatem bullæ Pontificiæ omnium oculis expo-

ſuit, *Conring*. Tr. de pace perpetua, cujus ſcrinia, cum in omnium fere eruditorum ſit manibus, compilare nolumus.

VIII.

Quem verò ſibi ſucceſſorem voluit Ferdinandus?

Filium Ferdinandum IV. qui Ratisbonæ A. C. 1653. in Regem Romanorum electus, Auguſtæ, coronatus, cum Parente Viennam rediens A. C. 54. obit. Triennio poſt, anno nempe 57. 23. Martii, ipſe Imperator optimus, mortalis eſſe deſiit.

IX.

LEOPOLDUS.

Succeſſit ne ei filius?

Utique: ſuffragio enim omnium Electorum, (cum jam A. C. 1655. Auſtriæ, vivo parente

rente (a) præfectus, 16. Julii Rex Hungariæ, ac anno 1656. Rex Bohemiæ creatus esset) Francofurti, ad imperii Romani fastigium, A. C. 1658. imperio omnium maxime dignissimus, Leopoldus Ignatius evectus est; eaque die rursus Viennam rediit, quâ ante trecentos, & quod excedit, annos, ad urbem La, victoriam insignem ab Ottocaro Bohemiæ Rege, elatius sese gerente, Familiæ Austriacæ conditor Rudolphus I. reportavit.

(a) Quo honore in patrem usus fuerit, ex *Thuldenio* hìc adscribere visum fuit. Ita autem ille part. altera l. 4. p. 17. *Archidux è sede, quum assurrexisset, in conspectu patris reverenter assistere, ac honoris ejus causâ utroque inflexo genu, sancte*

ĉte promittere, se uti dignum est filio, inconsulto patre, vel inſciente, dum vixerit, nihil facturum.

X.

Quid his temporibus à potentiſsimo noſtro Imperatore geſtum?

Turbas inter Sueciæ, Poloniæ & Daniæ Reges exortas ſedavit, ac, cruento licet prœlio, Achmetem II. Turcarum imperatorem ſuperavit. Cumq; huc usque felicitatem imperii Leopoldini, exoptatiſsimum cum Margareta, Philippi IV. Hiſpaniæ Regis filia, conjugium ampliorem reddiderit, id unum ſupereſt, quod calidiſsimis votis Germanorum Imperium à ſupremo Numine flagitat, ut

Auſtriacæ diadema domus, cunctisq; verenda ſceptri Majeſtas, Leopoldi in ſtirpe perennet!

EPI-

EPILOGUS.

ATque hæc, hac vice, de Cæsarum Historica recensione sufficiant. De quibus licet plura potuissent adferri, id tamen instituti hujus non erat. Possunt verò Imperatorum memoriæ caussa, quinque classes constitui, quarum I. continet Ethnicos, ac ab Augusto incipiens, desinit in *Constantio Chloro*, parente Constantini M. In hac classe, præcipuum quod observari meretur, sunt *decem persecutiones Christianorum*, quarum primam *Nero*, ultimam *Diocletianus* excitavit. Altera Classis *Christianorum* est *Imperatorum*, quorum primus *Constantinus M.* & terminatur in *Augustulo*. In hac illud præ cœteris memoria dignum, quod & *translatio sedis Imperatoriæ Constantinopolim*, *&* *divisio*

imperii in Orientale & Occidentale, huic interitum maturarit. Tertia continet *Imperatores orientales, occidente exclusos*. Quod maxime ad memoriam insigne hujus classis, illud est, quod *fundamenta ad Tyrannidem Pontificiam à Phoca jacta* sint, *Muhamedisq;*, *ac Iconomachorum ortus*, turbas in Ecclesia & Politia excitaverint. Sequitur quarta Classis, in qua redivivi in Occidente Imperatores, primùm *Carolum M.* Germanorum Imperatorem venerantur. Habet hæc classis inter alia hoc insigne, quod omnibus modis contra nitentibus Imperatoribus, nihilominus *sacra Pontificum Tyrannis* in Hildebrando ad ἀκμὴν pervenerit. Ultima denique classis, à conditore Austriacæ familiæ *Rudolpho I.* incipit, seque ad nostrum usque Imperatorem potentissimum extendit,

dit. Illuſtris eſt, non tantum ob binos Carolos, (quorum *Quartus Aurea bulla*, controverſiis in electione Imperatoria ſæpius enatis, finem impoſuit; alter verò, nempe V. *Confeſſionem Auguſtanam*, à Proteſtantibus ſibi oblatam, tandem accepit;) ſed & ob *Germaniæ pacem*, quam diu deſideratam. *Ferdinandus III.* Deo ſic volente, orbi reddidit. Si quis verò eſt, qui Hiſtoriam, quæ à bello Germanico incipit, uberius cognoſcere deſiderat, is evolvat *Brachelium*, ejusque continuatorem *Thuldenium*, & non pœnitendam operam horum lectioni impendet. Gratiſsimam verò redderet horum prolixitatem, elegans oppidò & compendiaria narratio rerum toto orbe, ſub Maximiliano I. & ſequentium Imperatorum, usque ad Ferdinandum III. geſtarum, *Excell.*

Domini Beerii, Patroni pl. colendi, quam ſuis olim Auditoribus dictavit, digniſsima, quæ in manus omnium veniret. Aſt cum ea intra privatos ſaltim hucusque parietes lateat, vices ejus ſubeat elegantiſsimus *Author compendii de bello Germanico*, qui licet brevitate ſua nonnunquam lectori ancipitem curam cogitandi creet, eo tamen nomine in deliciis eſt, quod indicis loco in *Thuldenium* & *Brachelium* eſse poſsit. Hujus ex brevitate orta obſcuritati, ſufficientem addet lucem *Burgoldenſis* diſcurſu I. ad Inſtr. pacis. Hoc itaque Catone, Candide & benevole lector, ut contentus ſis, ac ſicubi ceſpitatum, legi humanitatis, qua nihil ab errore immune, imputes, eſt quod obnixe rogo. Omnem fiduciam in tua benevolentiâ reponens, Alga viliores æſtimabo vibices illos bono-

bonorum, ac impudentes optimorum quorumque flagellatores, qui se solos admirantur, alios verò omnes tanquam noctuas in umbra volitantes putant. Interea vero

Gloria tota DEO,
gloria nulla mihi!



ER-

ERRATA

Quod Petrarcha ait, nihil in humanis ad inventionibus adeo perfectum, quod, si ad perspicacis correctionis regulam deducatur, multa non indigeat tersione; id & huic libello evenit. Irrepsere enim nonnulla sphalmata, quæ Tu benevole Lector, ita emendabis.

Pag. 20. l. 10. pro vooatur, lege vocatur' p. 29. l. 4. pro Artaxes, l. Artaxerxes. p. 37. l. 12' pro Gallus, l. Gallia. p. 43. l. 17. pro 670. l. 570. p. 48. vers. 3. pro *Liberi*, l. *Tiberi*. p. 50. l. 1. pro Hic, l. His. p. 77. l. 21. pro 155. l. 555. p. 94. l. 2. pro Somide, l. Soëmide. p. 115. l. 1. pro hæc verba, l. quæ hæc verba. p. 122. l. 2. pro 61. l. 65. p. 182. l. 7. pro Iacobita, l. Iacobitæ. p. 193. l. 14. pro quorum hic, l. quorum ille. p. 217. l. 7. adde post vocem Hæc, inter alia. p. 234. l. 13. pro coEpiscopotum, l. CoEpiscoporum. p. 278. tit. VI. CONRRDUS, l. CONRADUS. p. 285. l. 5. pro protraxerat, l. pertraxerat. p. 334. l. 12. pro Durandus, l. Durantes. p. 335. l. 2. pro Historiatam, l. Historiam. p. 326. l. 4. pro turbar, l. turbas. p. 339. l. 18. pro quem, l. quam. p. 362. l. 1. pro expont, l. exponit. p. 366. l. 13. pro VI. l. XVI. p. 380. l. 3. pro exstimo, l. existimo. p. 390. l. 3. pro scripsére, l. scripsit. p. 392. pro Iullus, l Iulius. p. 399. l. 17. pro selicissimus, l. felicissimus. p. 400. l. ult. pro I. l. XI. Cœtera quæ adhuc forte extabunt, arbitrio benevoli lectoris committuntur.

FINIS.